



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1706

Titulus I. De electione, & deputatione Officialium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)



FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM

Fori Ecclesiastici.

TITULUS I:

De electione, & deputatione Officialium.

Deputationis Vicarii Generalis.

FORMULA I. SUMMARIUM.

- 1 Clausula - Et alia omnia gerendi, etiamsi talia forent, quæ mandatum speciale requirerent, habet vim mandati specialis.
- 2 Vicarius Generalis, quæ non possit facere sine mandato speciali?
- 3 Onus Episcopatus gravissimum. Episcopus debet esse intentus internis, & externis, ibid.
- 4 Episcopi plures ex ommissione dantur.
- 5 Episcopus quando teneatur Vicarium assumere? & num. 6.
- 7 Episcopus tenetur predicare, Missam celebrare quotidie, vel saltem audire, num. 8.
- 9 Diocesim per se ipsum visitare.
- 10 Delicta Clericorum punire.
- 11 Examini Ordinandorum interesse.
- 12 Consortium Mulierum vitare.
- 13 Eleemosynam largiri.
- 14 Concordiam Civium procurare.
Monacelli Form. Pars I.

- 15 Pupillis, & Viduis providere.
- 16 Officiales, & Ministros bonis moribus imbutos retinere.
- 17 Iracundiam, & Avaritiam fugere.
- 18 Mansuetudinem amplecti.
- 19 In Civitate, seu Diocesi residere.
- 20 Ordinationes sine suspitione Simonie tenere, & ordines conferre.
- 21 Bonos mores in populo, & disciplinam in Clero promovere.
- 22 Moniales reformare, & clausuram tueri.
- 23 Vita irreprehensibili viam Cæli Subditos docere.
- 24 Vicarius Generalis debet esse probus, & fidelis, & num. 25.
- 26 Scientia, & experientia idoneus.
- 27 Scientia ad regimen est necessaria. Judex non syndicatur de imperitia, sed de corruptione, & barrattaria, ibid. Judex imperitè judicans in jure certo facit litem suam, ibid.
- 28 Prudentia, & Sapientia reperitur in senibus.
- 29 Lex respicit ad ea, quæ frequentius eveniunt. Non ad ea, quæ raro. Episcopus tenetur de facto Vicarii imperii, ibidem.

A

30 Vt

- 30 Vicarius Episcopi est Ordinarius.
Vicarius Generalis debet deputari in scriptis, ibidem.
- 31 Vicarius non praesumitur habere facultatem explendi reservata Episcopo, nisi probetur, num. 32. & 33.
- 34 Episcopus, an possit retinere plures Vicarios Generales?
- 35 Ecclesia consecrata, si polluatur, non potest reconciliari, nisi per Episcopum.
- 36 Episcopus non potest exigere charitativum subsidium, si non est pauper.
- 37 Episcopus, qui habet congruam excedentem taxam Concilii, non potest exigere charitativum subsidium.
Episcopus non exigit charitativum subsidium à Clericis non Beneficiatis, nisi forte adsit consuetudo, ibid.
An illud possit exigere, si habeat bona patrimonialia, ibid.
- 38 Episcopus ex causa rationabili non tantum semel, sed pluries potest exigere charitativum subsidium.
- 39 Episcopus ex jure novo Taxae Innocentianae semel exigere potest charitativum subsidium pro primo in gressu, n. 40.
- 41 Quantitas charitativi subsidii est regulanda juxta indigentiam Episcopi, dummodò sit moderata.
- 42 Charitativum subsidium exigere non possunt Praelati inferiores Episcopo.
- 43 Episcopus potest delegare suo Vicario Generali omnia, quae sibi specialiter commissã fuerit, quoties non fuit electa industria personae.
- 44 Vicarius Generalis venit sub nomine Episcopi, aut Ordinarii, nisi expressè excludatur.
- 45 In delegatione, quando dicatur electa industria personae?
- 46 Episcopus per se ipsum debet explorationem facere voluntatis Puellarum habitum Religionis suscipere volentium, nisi impeditus non sit.
- 47 Exploratio voluntatis suscipientium habitum Religionis debet fieri ab Episcopo in loco libero.
Exploratio voluntatis ubi adest suspicio subornationis debet fieri extra locum, ubi Puella retinetur, ibi.
- 48 Exploratio voluntatis debet fieri ante susceptionem habitus, & renovari ante professionem etiam in Monasteriis exemptis.
- 49 Exploratio voluntatis debet redigi in scriptis.
Actus qualis apparet in sua figura, talis praesumitur in sua essentia.
Ecclesia per externa praesumit interna, ibid.
Puella, quae per externa professã fuit cogitur in Religione permanere, etiam si animum prostendi non habuisset, ib.
- 50 Vicarius Generalis non potest ex sola Episcopi delegatione indumenta sacra benedicere, & rejicitur Nicol. num. 51. & 52.
- 53 Episcopi in deputatione Vicarii Generalis, debent sibi ipsis reservare collationem Beneficiorum.
Vicarius Generalis, qui habet facultatem substituendi, potest alium substituere, ut sibi conferat Beneficium vacans, ibid.

N. Dei, & Apostolicae Sedis gratia Episcopus N.

Dilecto Nobis in Christo N. Salutem in Domino.

Um onus Episcopalis Ministerii tanti sit momenti, ut etiam ipsis Angelicis humeris formidandum videatur, operæ pretium duximus in administratione Episcopatus N. quem Sanctiss. D. N. Papa nostræ inbecillitati superimpofuit, Vicarium idoneum advocare, qui partem sollicitudinis nostræ in se assumendo pondus, quo ultra vires premimur, allevet. Hinc aciem nostræ mentis in personam tuam dirigentes, & desidelitate, probitate, prudentia, & experientia, aliisque quibus polles virtutibus plenè confisi, Te nostrum Vicarium Generalem, & Officiale ad nostrum beneplacitum in dicto nostro Episcopatu N. in spiritualibus, & temporalibus, tenore presentium facimus, constituimus, & de-

deputamus, dantes, & concedentes tibi potestatem, & mandatum speciale Ecclesias, Altaria, & Oratoria ædificata, & ædificanda, & Divino Cultui deputata benedicendi, eaque polluta (non tamen consecrata) reconciliandi, à Casibus quibuscumque Nobis reservatis absolvendi, & aliis Confessariis, ut ab iisdem absolvere possint, facultatem delegandi, publicas, & solennes penitentias injungendi, litteras commendatitias, & testimoniales concedendi, dimissorias ad quoscumque ordines dandi, & super interstitiis dispensandi, Nobis tamen à Diœcesi absentibus; Causas matrimoniales cognoscendi, & decidendi; procuracionem visitationis, Synodaticum, quartam Funeralem, & charitativum subsidium, ut juris erit, exigendi; Novas Parochias erigendi, & erectas, collapsasque reficiendi, vel in Matrices Ecclesias transferendi, Beneficia erigendi, & resignationes illorum etiam ex causa permutacionis recipiendi, & ad ea presentatos instituendi, ad Curata vacantia concurrere indicendi, & eadem digniori conferendi, Æconomos tempore vacationis instituendi: Coadjutores Rectoribus Parochialium imperitis, & infirmis dandi; Causas omnes ad Forum nostrum tam de jure, quàm ex consuetudine spectantes, & pertinentes, etiam si feudales, & heresis sint, cognoscendi, & decidendi; Edicta nostra exequendi Censuras fulminandi, ab ordine, Officiis, administratione, & Beneficiis, prout juris erit, suspendendi, privandi, destituendi, & deponendi, inquisitos, excommunicatos à Canone, suspensos, & interdictos à jure in casibus Nobis permisis absolvendi, causas criminales cognoscendi, & decidendi, brachium sæculare implorandi, pias voluntates exequendi, in erectione, & fundatione Beneficiorum jura Patronatus Fundatoribus reservandi, in alienationibus bonorum Ecclesiarum, & Locorum Piorum ad formam Sac. Canonum auctoritatem præstandi, & decreta interponendi; Litteras Monitoriales in forma significantes pro rebus deperditis, seu furto subtrahitis juxta formam juris, & Bullam Beati Pii V. concedendi, Ecclesias omnes, Loca pia etiam exempta, & Monasteria Monialium visitandi, litteras Apostolicas Nobis, seu Vicario nostro directas, & dirigendas aperiendi, & nisi industria persone eligatur) exequendi; Jurisdictionem in Regulares, & exemptos ad formam Sac. Concil. Trid. Constit. Apostolic. & Decret. Sac. Congreg. exercendi, juramentum ad effectum tantum, agendi, & dummodò absolutiõnem petentes perjuri non sint, relaxandi, Confessarios tum Seculares, tum Regulares (non tamen Monialium) examinandi, & ad tempus approbandi, & facultatem eis concessam ex causa revocandi, voluntatem Puellarum habitum Religionis suscipere, si vè profiteri volentium (Nobis impeditis, aut absentibus) explorandi, licentias pro ingressu in Clausuram Monialium pro rebus tantum necessariis Officialibus, Artificibus, & Colonis concedendi, Sac. Suppellectilem, aliaque indumenta Ecclesiastica, in quibus Sacra Unctio non adhibetur (quantum ad nos spectat) benedicendi, unum, vel plures Vicarios, Nobis absentibus, in casu alicujus necessitatis cum eadem, vel minori auctoritate nomine nostro ad tempus substituendi, & cætera exercendi, quæ ad Officium Vicariatus noscuntur pertinere. Volumus autem, quòd in Vicarium, & Officiale nostrum Generalem omnes Nobis in Episcopatu, & jurisdictione subiecti Te recognoscant, recipiant, & admittant, atque, ut par est, Tibi obediant; Si quis verò inobediens fuerit, condigna pœna ferietur. In quorum, &c. Dat. &c.

N. N. Episcopus N.

A 2

A D.

ADNOTATIONES.

1. **S**I Episcopus, habita consideratione ad qualitates personæ electæ, vellet pauciora expressis in formula concedere, & aliqua ex ibidem concessis reservare, poterit ad libitum facultatem restringere ad pauca specialia, quæ non censentur commissa, nisi in litteris exprimentur: At si majora expressis concedere vellet, & illimitatam electo facultatem tribuere, tunc post enumerationem aliquorum specialium in formula contentorum, addat in fine clausulam sequentem -- *Et cætera alia omnia faciendi, gerendi, & exercendi; etiamsi talia forent, quæ mandatum magis speciale requirerent*: Cujus vigore Vicarius Generalis in his, quæ sunt jurisdictionis. eandem potestatem, quam Episcopus habet, consequitur, quamvis specialia, quæ Vicarius vigore mandati generalis facere non potest, non exprimentur, ut tradunt Barbof. *de Offic. & Potestat. Episc. alleg. 54. n. 124.* Pirhing. *in jus Can. tom. 1. lib. 1. tit. 28. §. 4. num. 48. in fin.*

2. Præter autem specialia, quæ exprimentur in formula, & quæ Vicarius vigore mandati generalis explere non valet, alia plura inveniuntur jure, prout sunt elargitio Indulgentiarum, potestas absoluta dimissorias concedendi, ea quæ sunt ordinis Episcopalis committendi, Beneficia conferendi, & uniendi, pensiones in casibus à jure permissis super illis imponendi, reis gratiam faciendi, voluntates Testatorum in casibus de jure Episcopo concessis commutandi, jus patronatum in Laicum donandi, & transferendi, nova Monasteria erigendi, licentias dandi, Confessarios Moniallum approbandi, numerum Canonicorum augendi, Concionatores approbandi, interdictum relaxandi, irregularitates, & vota occulta in casibus Episcopo permissis dispensandi. Hæc inquam censentur præter alia notata minuscule caractere in formula Episcopo reservata, nisi explicitè, vel saltem implicitè, & virtualiter per clausulam -- *Et cætera alia omnia, &c.* de qua in §. præcedenti concedantur, ut com-

muniter docent Tusch. *litt. V. conclus. 189.* Zecch. *de Republ. Eccles. cap. 23. de Vicar. Episc. Barbof. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 83. num. 5.* Ventrigl. *prax. p. 2. annot. 14.* Pac. Jordan. *tom. 2. lib. 12. tit. 1. à n. 142. ad 230.* Passerin. *in c. Cum in Generali num. 20. & 21. de Offic. Vicar. super 6.* Nicol. Lucubr. *Can. lib. 1. tit. 28. de Offic. Vicar. ampl. 44. & 45.* Rot. coram Buratt. *decis. 702.* & coram Coccin. *decis. 652. num. 8.* & coram Zarat. *decis. 26. n. 3. & 4.* & coram Cell. *dec. 199. n. 6. apud quos alia specialia invenies.*

3. **ONUS EPISCOPALIS**. Gravissimum quidem est onus Episcopatus: inest enim huic Dignitati principaliter, & essentialiter labor maximus in procuranda salute Animarum, quæ Cura cum sit ars artium, & à paucis sciatur, meritò iste honor à viris prudentibus, non solum non appetitur, sed exhorrescitur, quia cum salus populi sit præcipua, & finalis, nemo sapiens læto creatur animo; nam exterioribus Curis non debet esse tam deditus, ut ab intimis corruat; nec solis interioribus occupatus, ut quæ foris sunt, proximis non impendat, ut monet Divus Gregor. relatus à Barbof. *de Potest. Episcop. par. 1. tit. 2. glos. 16. num. 2. & glos. 2. num. 14.*

4. **FORMIDANDUM**. Quia quamplures Episcopi non tantum commissiōne, sed omiōne damnantur, teste Episcopo Sperellio *dec. 126. n. 30.*

5. **ADVOCARE**. Quæstio olim fuit inter DD. an Episcopus teneretur, & cogi posset ad sibi assumendum Vicarium? Et affirmativam sententiam tenuit Zecch. *de Republ. Eccl. cap. 23. de Vicar. Episc. cum aliis ab eo allegatis.* Verùm Rot. Romana coram Cavaler. *dec. 418. & in Recent. par. 14. deci. 115. n. 19.* absolute negativam sequitur. Alii autem quos citat, & sequitur Gratian. *discept. 561. n. 16. & seqq.* fædere distinctionis oppositas has Sententias conciliant, nempe quod prima Sententia affirmativa procedat in Episcopatibus magnis, & numerosis, secunda verò negativa locum habeat in Episcopatibus parvis, quam distinctionem sequutus est Pirhing. *in jus Can. tom. 1. lib. 1. tit. 28. nu. 28.*

6. Cardinalis verò de Luc. descendendo ad praxim, relicta opinione Rotæ quam

am-

amplexus fuerat in disc. 24. n. 5. de iurisd. dicit quod Sac. Congreg. Episcop. in Diocesis, ubi retineri consuetum fuit, solet demandare retentionem Vicarii, si Diocesi recurant; In aliis vero Diocesis exigui Territorii, vel ubi paupertas Ecclesie ita suadeat, solet dispensare ad tempus, etiam dilacione pluries concedendo, prout facti qualitas exigit, ut in disc. 4. n. 4. adnot. ad Concil. & cum hac praxi hodie vivitur saltem in nostra Italia. Verum Sac. Congreg. Concilii sub die 11. Februarii 1696. approbando Votum Rotę editum 18. Junii 1694. & 11. Martii 1695. coram Emerix. in Valven. Præminentiarum, admittit quod Episcopus non possit arctari ad tenendum Vicarium, juxta decis. Cavalerii.

7 **PREMIUM.** Premitur enim Episcopus obligatione Verbum Dei prædicandi, monita salutis dandi, & populum in Lege Domini instruendi, non tantum in Cathedrali, verum etiam in Diocesi tempore visitationis, c. Episcopus 88. dist. cap. Placuit 10. quæst. prima cap. 1. §. Sanè de Cens. in sexto, Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. de Refor. Fagnan. in cap. Ex parte de Cler. non ref. Rot. coram Merlin. dec. 618. ferè per tot. Aff. Apost. 6.

8 Sacrificium Missæ quotidie celebrandi, vel saltem audiendi, cap. fin. de privil. in sexto, ac si celebret, pro ovibus suis Sacrificium applicandi, Concil. Trid. sess. 23. de Reform. cap. 1.

9 Diocesim per se ipsum legitime non impeditus diligenter tempore debito visitandi, Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. de Reform. Fusc. de visit. lib. 1. cap. 3. n. 18. Barbof. de Offic. Episc. par. 1. tit. 2. glos. 10. n. 24. Fagnan. in dicto cap. Ex parte de Cleric. non resid. nu. 39. Chrispin. de visit. par. 1. §. 1. num. 2. & 3.

10 Delicta Clericorum, præsertim publica, puniendi, & mores reformandi, cap. Nemo quippe & cap. Si quis Episcopus dist. 83. cap. Quid autem 8. quæst. 1. cap. Et injusta 33. quæst. 4. cap. fin. de excess. Prælat. c. 1. §. Sanè de Cens. in sexto, Sperell. decis. 126. num. 23. & 24.

11 Examini Ordinandorum præsentialiter interessendi, & à personarum acceptione cavendi, Glos. in cap. Ad hæc de Offic. Archid. vers. Examinentur, Piafec. Monacelli Form. Pars I.

prax. Episc. par. 1. cap. 1. art. 7. n. 5. & 6. Barbof. de Offic. & potest. Episc. alleg. 10. num. 1.

12 Consortium Mulierum fugiendi, cap. Interdixit, & cap. seq. 32. dist. Barbof. eodem tract. part. 1. tit. 2. glos. 8. per tot. ubi dictum Divi Hieronymi refert illis verbis-Fœminam quam benè videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentia.

13 Eleemosynam etiam publica liberalitate elargiendi, cap. Fratrem 86. dist. Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. de Reform. cap. Episcopus, cap. Rex Ecclesie, & cap. seq. 12. quæst. 1. quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam, Tob. 12. si autem obturaverit aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Proverb. 21.

14 Concordiam, & pacem, & unitatem non tantum inter Ecclesiasticos, sed etiam Laicos fovendi, cap. Præcipimus, & per tot. 90. dicto cap. Episcopus, & dicto cap. Res Ecclesie, & cap. seq. 12. quæst. 1. Graff. dec. aur. par. 2. lib. 2. cap. 21. nu. 21.

15 Pupillis, Viduis, aliisque pauperibus oppressis providendi, tuendi, & justitiam ministrandi, c. Pervenit, & c. seq. 84. dist. c. 1. 2. & per tot. 87. dist. c. Scire 23. q. 8. c. Super quibusdam in fin. de verb. signif.

16 Officiales, & Ministros bonis moribus, bonaque fama præditos retinendi, improbosque arcendi, Concil. Trid. sess. 2. de Reform. cap. unico, Barbof. de Offic. & Potest. Episc. par. 1. tit. 2. glos. 16. nu. 10. Piafec. prax. Episc. par. 2. cap. 3. art. 1. post nu. 4. cap. Pervenit, & cap. seq. 2. quæst. 8.

17 Iracundiam, & avaritiam fugiendi, ut de prima monet Apostolus ad Rom. cap. 12. quia ira viri justitiam Dei non operatur, Jac. Apost. 1. cap. Episcopus 11. quæst. 3. in fin. Pac. Jord. tom. 1. lib. 1. tit. 6. à num. 1. & seqq. & de secunda à Sacris Canonibus execrata, Amostaz de caus. piis lib. 2. cap. 6. & Romaguer. ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 1. cap. 2. num. 34. & est Text. in cap. Ex parte de Cens.

18 Mansuetudinem Pastoralem, & humilitatem amplectendi, nam ubi est humilitas, ibi est sapientia, Proverb. 11. cap. Licet plerumque 45. dist. Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. de Refor. Barbof. de

Offic. & Potest. Episc. par. 1. tit. 2. glos. 12. tit. 17.

19 In Civitate, vel loco ubi Cathedra existit (nisi necessitas aliud exposcat) continuo residendi, muniaque Episcopalia per se ipsum explendi, *Concil. Trid. cap. 1. sess. 23. de Reform. Tusch. litt. E. concl. 234. num. 7. Graff. dec. aur. part. 2. lib. 3. cap. 14. n. 2. cap. Relatum, cap. Nonnulli de resid. in sexto, Fagnan. in cap. Dudum n. 27. de elect. & in cap. Ex parte n. 25. & 29. de Cler. non resid.*

20 Sacramentum Ordinis sine labe, & suspitione Simoniae, aut spe munerum, & tantum dignis conferendi, *cap. Sacerdotes 49. dist. cap. Presbyter 1. quest. 1. cap. Per tuas de Simon. Bellet. disq. Cler. par. 1. §. 4. num. 49. memor ultionis Dei in Domum Jeroboam lib. 3. Reg. cap. 3. ubi narratur, quod quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum, & propter hanc causam, peccavit Domus Jeroboam, & eversa est, & deleta de superficie terrae.*

21 Bonos mores in populo, disciplinam in Clero, nitorem, & decorem in Ecclesiis totis viribus fovendi, & promovendi *Concil. Trid. cap. 3. sess. 24. de Reform. Bellet. disq. Cler. par. 1. §. 5. de favor. Cler. real. n. 67. & seqq. Chrispin. de visit. part. 2. §. 14. nu. 8. reportantes finem Fidei eorum salutem Animarum, Petr. 1.*

22 Moniales reformandi, Clausuram custodiendi, & tuendi, *Concil. Trid. sess. 15. de Regular. cap. 5. Donat. prax. rer. Regular. tom. 2. ca. 3. de Claus. Monial. quest. 2. nu. 18. & quest. 4. num. 5. & tom. 4. tra. 15. de vot. paupert. quest. 5. num. 1.*

23 Vita irreprehensibili iter quo ad Coelestem Patriam pergimus, cunctos sibi subiecto docendi, *Divus Paul. 1. ad Tim. cap. 3. Pac. Jord. tom. 1. tit. 1. num. 60. & seqq. Barbof. de Offic. & Potest. Episc. par. 1. tit. 2. glos. 3. n. 4. Si enim Episcopus praemissa negligeret, & flocci faceret, non esset sine crimine, & populus in die Domini eum sua officia non agentem judicabit, cap. Veror 8. quest. 1.*

Unde cum nil magis deceat debilitatem humanam, quam subsidia, & fulcimenta venari, quibus innixa deficere, ac ponderi succumbere non paveat, Episcopus

in tam grandi Dignitatis fastigio adjutorem sibi adsciscat idoneum.

24 **FIDELITATE, PROBITATE, SCIENTIA, ET EXPERIENTIA**, Vicarius debet esse fidelis in iis, quae sibi ab Episcopo demandata fuere, scilicet in exequendo, in referendo, in secreto tenendo, in consilio dando, in iura tuendo, & in administrando justitiam.

25 Probus, quia qui praestit, ut juvet, exemplo virtutum eum praerire necesse est, aliàs in gubernio nihil proficiet, sed potius Clerum, & Plebem inficiet, *cap. cum in cunctis 7. de elect. in princ.*

26 Debet esse scientia, & experientia idoneus, quia imperitus non potest esse Judex Ecclesiasticus, ut dicit *Glos. in prefatione dist. 20. verb. imperitis*: Aliàs si Episcopus indoctum, ad officium ineptum deputaret, graviter peccaret, ut communiter tradunt *Navar. lib. 1. cons. 1. de Offic. Vicar. Ricc. dec. Cur. Archiepisc. Neap. 305. n. 1. & 2. par. 4. Garz. de Benef. p. 5. cap. 7. n. 17. & 18.*

28 Et ratio convincens est, quia scientia ad regimen est simpliciter necessaria: Et licet hodie de consuetudine Judices non syndicentur de Sententiis per imperitiam malè datis, sed tantum de furtis, malè ablatis, dolo, fordibus, corruptione, & barrattaria, *Merlin. dec. Lucen. priman. 2. Vulpin. succ. Farinac. par. 12. ex quest. 111. art. 16. n. 46. Nihilominus Judex imperitè judicando in jure certo, facit litem suam, & tenetur ad interesse partis, Glos. punctualis in cap. Sacro, verb. de interesse de Sentent. excommunic. quia imperitia annumeratur culpæ, Glos. in cap. Si homicidium, verb. imprudenti 23. quest. 5.*

28 Caveant propterea Episcopi, ne pretio, aut precibus, sive alia quavis suadente ratione inducantur ad assumendum, Vicarium, qui aetate, moribus, & doctrina non sit gravis. Et quamquam aetas 25. annorum sufficiens in jure reputetur, tamen difficile est, quod in ista aetate quis sit aptus: Nam Divina eloquia Nos docent, quod prudentia, & sapientia reperitur in senibus, juxta illud *Job. 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia, & Exod. 3. Vade, & congrega seniores*: Et Moyses jussu Dei rerum omnium Provvisoris ele-

git

git 70. Presbyteros (hoc est seniores) qui simul cum eo gubernarent Num. 11. & denique Dominus cum ad iudicandum venerit Assessores habebit seniores, *Isaias* 3.

29. Non infior tamen, quod non possit aliquis juvenis huiusmodi ætatis acri ingenio idoneitatem necessariam habere, sed dico, quod casus raro continget, ad quem lex, regulaque non respicit, sed ad id, quod frequentius accidit, *l. nam ad ea, ff. de leg. Sanchez de Matrim. l. 3. disp. 41. num. 5. vers. Quod si dicas, Fulgini. de jur. emphyt. tit. de solut. Can. quæst. 1. n. 129.*

Proptereaque existimo, quod, si non possit haberi magis providus, & ætate provectior, debeat esse saltem triginta annorum completorum: Cum enim juvenilis ætas ad malum prona difficilè refrenetur, non expedit, quod Tribunal Episcopale, à quo bona cuncta Diocesis procedere debent, junioribus committatur. Quia Episcopus se exponit periculo relevandi factum sui Vicarii, de quo teneretur, si delinqueret in officio, & sibi imputare deberet, si malum elegit Ministrum, ut monet *Piassec. Prax. Episc. tit. de person. Judic. num. 16.*

30. **TENORE PRÆSENTIUM.** Quamvis Vicarius Episcopi dicatur Judex Ordinarius, & habere mandatum à lege per *Glof. in cap. 2. vers. Officalem de Offic. Vicar. & in cap. Romana, vers. Generaliter de appellat. & cap. 1. & 2. de Offic. Ordin. in sexto*, ibique DD. communiter; nihilominus debet in scriptis constitui, & deputari, non quia sit necessaria scriptura; sed ad probationem in casu, quo à partibus ejus auctoritas super aliquo speciali de jure Episcopo reservata negaretur, vel aliàs in dubium revocaretur.

31. Periculosa est enim doctrina *Ventriglia in prax. part. 2. annor. 14. nu. 52. & 53.* ubi conatur probare, quod si auctoritas Vicarii negetur, aut de ea apponatur postquam Vicarius ea usus est, debeat præsumi illam habuisse ad sustinendum actum, maximè si præsentem Episcopo explevisset ea, quæ requirunt specialem facultatem.

32. Quia cum specialia Episcopo à jure reservata, ut suprà probatum fuit, non censeantur, neque præsumantur con-

cessa, nisi in mandato, & constitutione Vicarii exprimentur, præsumptio stat pro nullitate actus, nisi probetur commissio, quam probare tenetur ipse Vicarius, vel alius, qui eam supponit, ut in individuo advertunt *Zecch. de Republ. Eccles. cap. 23. de Vic. Episcop. vers. 1. nu. 6. Pac. Jord. tom. 2. lib. 12. tit. 1. num. 119.* Et est generale, quod quando qualitas, sed idoneitas requiritur à lege, non præsumitur, sed est probanda, cum sit qualitas extrinseca, licet intrinseca præsumatur inesse, ut distinguit *Piassec. prax. Episcop. part. 1. cap. 1. art. 7. nu. 2. & art. 8. num. 5.*

33. Tutior ergò via est, quod Vicarius in principio sui Officii coram Capitulo Cathedralis per Cancellarium litteras suæ deputationis publicare faciat, & deinde penes Acta Cancellariæ per extensum registrari curet.

34. An autem unus tantum, vel plures Vicarii Generales in eadem Diocesi ab Episcopo constitui possint, affirmant *Zecch. de Republ. Eccles. loco cit. vers. 1. numer. 3. Ricc. prax. For. Eccles. part. 2. res. sol. 199. Barbof. de Offic. & Potest. Episcop. alleg. 54. num. 126. Pac. Jord. tom. 2. lib. 12. tit. 1. num. 24. Pirhing. in jus Can. lib. 1. tit. 28. num. 29.* Negant alii quos sequitur *Nicol. lucubr. Canon. libr. 1. tit. 28. nu. 7. pag. mihi 51.* nisi adesset in loco consuetudo, vel agatur de Episcopo, qui habeat unitas duas Dioceses: At omnes in hoc conveniunt, quod Episcopus non possit habere plures Vicarios, vel Tribunalia juxtà numerum dominiorum temporalium, ad quæ Diocesis se extendit.

35. **NON TAMEN CONSECRATA.** Ecclesia consecrata, si polluaturnon potest reconciliari, nisi per Episcopum, neque per eum facultas ista delegari potest, *capit. Proposui de consecrat. Ecol. Barbof. de Offic. & Potest. Episcop. allegat. 28. numer. 55. Nicol. lucubr. Canon. libr. 5. tit. 39. de pullut. Eccles. num. 257.*

36. **CHARITATIVUM SUBSIDIUM EXIGENDI.** Exigi non potest charitativum, nisi concurrente necessitate, egestate, & impotentia Episcopi; Quia cum sit charitatis auxilium, & remedium subsidiarium, non est diviti succurrendum,

ut communiter firmant Hofst. in c. cum Apostolus numer. 7. ibique Abb. numer. 2. Graff. decis. aurea part. 1. libr. 3. cap. 2. n. 39. & 42. Barbof. de Offic. & potest. Episcop. alleg. 87. num. 28. Bellett. disq. Cler. part. 1. §. 12. de Cler. debit. num. 2. & 6. Tambur. de jur. Abb. tom. 3. disp. 10. quest. 1. num. 1. & 2. Ventrigil. prax. rer. notab. p. 2. annot. 25. §. 1. num. 2. & seqq.

37. Et hinc oritur, quod Episcopus, qui habet congruam pinguem, quæ excedat taxam à Concilio præscriptam, illud non exigit, ut respondit Sac. Congreg. Concilii in Gerunden. 17. Febr. 1663. & Sac. Congr. Episcop. in Policastren. 19. Aprilis 1697. referente clar. mem. Card. Petrucci. Neque à Clericis non Beneficiatis, Leoncil. de privil. paup. part. 2. privil. 50. num. 29. Barbof. de Offic. & potest. Episcop. alleg. 87. num. 48. nisi fortè adesset consuetudo contraria, quod ab omnibus Clericis exigeretur, juxtà opinionem Ventrigil. supra citat. nu. 40. in fin. Imò quod, si Episcopus habeat bona propria patrimonialia non possit exigere charitativum subsidium tenet Menoch. de arbitr. lib. 2. ca. 178. nu. 13. quem tamen reprobatur Ventrigil. prax. part. 2. d. annot. 25. §. 1. nu. 4. dicens doctrinam Menochii procedere in subsidio debito domino temporalis.

38. Concurrente autem legitima causa rationabili, & manifesta, non tantum semel, sed etiam pluries posset ab Episcopo exigere charitativum subsidium, juxtà dispositionem Text. in c. cum Apostolus de cens. ubi Abb. nu. 2. Barbof. d. alleg. 87. nu. 36. Bellet. loc. cit. num. 5.

39. Attamen jure novo Taxæ Innocentianæ per viam legis universalis saltem in Italia publicatæ exigere tantum potest in illis Diocesibus, in quibus solitum fuit solvi, & quidem unica vice in primo ingressu Episcopi, ut ipsa Taxa disponit, ibi: *Il sussidio caritativo in quelle Diocesi, nelle quali sia solito d' essersi, e non altrimenti, si esiga solamente per una sol volta nel primo ingresso del Vescovo, secondo la Tassa solita antica di 40. anni indietro.*

40. Verùm animadvertas, quod verba illa: *Nel primo ingresso del Vescovo*, non debent intelligi judicè de ingressu physico, adeo ut non possit Episcopus exigere,

nisi personaliter ingressum faciat; sed quod non debeat, nisi legitime ingredatur in possessionem Cathedralis, vel per se ipsum, vel per Procuratorem.

41. Quantitas verò absque læsione Innocentianæ, præsertim in illis Regionibus ubi publicata non fuit, taxanda erit juxtà indigentiam, dummodò sit moderata, & non onerosa, Sac. Congr. Concil. in disq. Gerunden. de anno 1663. ad quintum, tam pro expeditione Bullarum, quam pro alia causa dependente ab Ecclesia, Sac. Congr. Episcop. in Hidruntina 22. Jan. 1601.

42. Hoc charitativum subsidium Prælati inferiores Episcopo, etiamsi habeant Territorium separatum, & jura Episcopalia, non debent, nec possunt exigere, ut censuit Sac. Congr. Episcop. in una Nullius Altamura 14. Martii 1697. quod autem in hujusmodi casu esset indulgenda facultas exigendi, tenet Ventrigil. prax. p. 2. d. annot. 25. §. 1. num.

43. **NISI INDUSTRIA PERSONÆ ELIGATUR.** Generaliter loquendo Episcopus etiam ea, quæ non ut Ordinarius, sed ut specialis Delegatus Apostolicus agere potest, suo Vicario Generali valet committere, & subdelegare, ex illa vulgari regula, quod Delegatus Principis potest subdelegare, nisi in rescripto delegationis aliter expressum non reperiat aut ex tenore, & vi verborum designata, & electa non censeatur industria personæ Episcopi, cap. ultimo, §. Is autem de Offic. Tit. & etiam quia ea omnia, quæ sunt jurisdictionis, committi possunt Vicario Generali, per Glos. in c. Pervenit 95. dist. Piafec. prax. Episc. pag. mibi 409. n. 50. in fin.

44. Et tandem quia speciale est, quod sub nomine Episcopi, aut Ordinarii, Vicarius Generalis semper includatur, nisi expressè excludatur, prout tradunt Gratian. decis. March. 97. n. 15. Ricc. decis. Cur. Arch. Neapol. 79. n. 5. p. 4. Petr. Paul. Guazzin. ad defens. animar. l. 2. de Judic. defens. 1. ca. 9. nu. 28. & 29. Sperell. decis. 97. n. 1. & 2.

45. Quando autem dicatur in litteris delegationis electa industria personæ, videntur sunt, Gratian. discept. 644. n. 23. Pac. Jord. tom. 3. lib. 13. tit. 6. à n. 28. ad 47. Fagnan. in cap. Quoniam n. 18. & 23. de Offic. Judic. deleg. Ros. de execut. lit. Apostol. p. 2. cap. 5.

cap. 5. à nu. 10. usque ad 27. *Graff. dec. aur. par. 1. lib. 1. c. 13. n. 17.* ubi septem demonstrationes affert; nempe. Prima, quando ratione confidentiæ alteri committitur. Secunda, quando conscientia oneratur, & proprium nomen exprimitur. Tertia, quando præstatio consilii requiritur in certo actu ad certum tempus. Quarta, quando mandatur negocium non determinatum. Quinta, quando Delegatus esset datus ad partis instantiam. Sexta, quando gravia, & ardua mandantur. Septima, quando agitur de re, & controversia, quæ ingenium, & hominis peritiam respicit.

46. **NOBIS IMPEDITIS, AUT ABSENTIBUS.** Hæc clausula ponitur in formula ad demonstrandum, quod, si Episcopus non est legitime impeditus, vel absens, debet per se ipsum explorationem facere, quia *Concil. Trid. sess. 25. cap. 17. de Regul.* videtur in hoc elegisse industriam personæ ipsius, ut observat *Zecch. de Republ. Eccl. de Vicar. Episcop. c. 23. n. 3. vers. Undecimo potest.* *Barbos. supr. d. c. 17. nu. 5.* *Tambur. de jur. Abbatis disp. 4. q. 2. nu. 7.* Agitur enim de re gravi, quæ si diligenter, prout Concilium mandat, fieret, & non cursim, & perfunctorie, non audirentur quotidie cum perturbatione Monasteriorum, & conscientiarum tot recursum in Sac. Congr. Conc. super nullitatibus professionum ex defectu liberæ voluntatis.

47. Ideoque ne illarum sanguis de manu eorum requirat Deus, curare debent Episcopi, quod Puellæ spontanea, libera, & devota voluntate profiteantur; Et si adfit suspicio, quod non solum ex parte consanguineorum, sed etiam Monialium Puella vi, metu, vel minis, ac importunis precibus impellatur ad profitendum, aliisque malis artibus subornetur, & quod ejus voluntas non sit libera, sed seducta, si retineatur in Monasterio, inde extrahi illam faciant, & voluntas in loco libero semotis arbitris ab ipsismet Episcopis exploretur, ut pluries demandavit *Sac. Congr. Episc. & Regul. nempe in Lunen. Sarzanen. 5. Octobr. 1692. in Fulginat. 3. Octobr. 1692. & in Maccaten. 8. Augusti 1698.* & monent *Barbos. de Off. & Potest. Episc. alleg. 100. n. 5.* *Donat. de Regular. tom. 4. tr. 9. q. 8. n. 4. & q. 22. per tot.*

48. Advertendum quoque est, quod hu-

jusmodi voluntatis profitendarum exploratio debet fieri tam ante susceptionem habitus, quam ante emissionem professionis post annum probationis, etiamsi Monasterium Monialium esset subiectum Regularibus *Sac. Congr. Episc. & Regul. in Vicen. 30. Septemb. 1596.* *Barbos. d. alleg. 100. nu. 4.* *Tamb. de jur. Abbat. disp. 4. q. 4. n. 4.* *Donat. ubi sup. n. 3.* Quamvis si semel tantum fieret, aut nunquam, adhuc professio valida esset, *Donat. d. qu. 8. nu. 8.* *Nicol. lucubr. Can. lib. 3. tit. 1. de vit. & honest. Cleric. post num. 22. vers. Si verò examen.*

49. Factaque per Episcopum, sive eo impedito per Vicarium exploratione, cautela est, quod redigatur in scriptis, & reponatur una cum licentia congregandi Capitulum, & fide Abbatis super acceptatione in Actis Cancellariæ; Nam licet defectus iste non irritet (ut mox dicebam) professionem, attamen multum juvat alleganti libertatem, & seductionem voluntatis; sicuti non parum prodest validitati professionis contra illam infringere volentem, si constet per diligens examen animum voventis ad formam Concilii fuisse exploratum. Quia tunc actus qualis apparet in sua figura, talis præsumitur in sua essentia, ut dicit *Castr. conf. 261. in princ. l. 2.* & Ecclesia per externa præsumit interna, quia per illa, hæc declarantur, etiamsi animum profitendi non habuisset; Unde *in ca. Quod interrog. 27. dist. dicitur. Penitentia agat de illusione nefanda, & revertatur ad id, quod spondit, & idè habetur in c. Viduus 27. q. 1.*

50. **QUANTUM AD NOS SPECTAT.** Hæc clausula ponitur in formula, quia juxta praxim præter auctoritatem delegatam Episcopi debet Vicarius pro benedicendis paramentis sacris obtinere licentiam Sac. Congr. Rituum, quæ solet illam concedere in hunc, qui sequitur modum *Sac. Rit. Congr. attribuit ad triennium N. Vicario Generali N. facultatem benedicendi sacram suppellectilem, aliaque indumenta Ecclesiastica, in quibus tamen Sacra Unctio non adhibetur, & dummodo expressus interveniat Ordinarii consensus, &c. vel rescribendo Episcopo -- Sac. Rit. Congregat. facultatem indulget Reverend. D. N. moderno Episcopo. N. ut subdelegare possit licentiam benedicendi Sacra Suppellectilia Eccle-*

Ecclesiastica, in quibus tamen Sacra Unctio non adhibetur, ejus Vicario Generali, & aliis Sacerdotibus suae Diocesis sibi bene visis in aliqua Dignitate Ecclesiastica constitutis, &c. juxta Decretum relatum à Gavant. in Manual. Episcop. verb. Benedictio num. 5. & quod servatum vidi pro me ipso, dum munere Vicarii Generalis functus fui in Ecclesiis Venusina, & Aesina.

51 *Contra hanc observantiam, & Decretum à Gavant. relatum, insurgit Nicol. lucub. Can. lib. 5. tit. 33. de privil. post nu. 18. Et primò objicit, quod de Decreto non constat authenticè. Secundò, quod non est usu receptum, praesertim Romae cum R. P. D. Vicegerens passim auctoritate ordinaria deleget quibuscumque Presbyteris hanc facultatem. Tertiò, quod hujusmodi benedictio, in qua non intervenit Unctio Sacra, & non sit Ordinis Episcopalis, sed jurisdictionis, & Sacerdotalis, possit à solo Episcopo delegari, sicuti delegatur reconciliatio Ecclesiae pollutae, quod est plus. Quartò, quod licentiae, quae expediuntur à Sacra Congregatione Rituum, fiant ad cauthelam, & ad majorem conscientiae serenitatem non autem de necessitate.*

52 *Huic Nicolii sententiae favere videbantur Decreta, relata à Barb. in Sum. decis. Apostol. collect. 301. num. 5. quae tamen per errorem ibidem allegata fuisse (ut saepe accidit Collectoribus) credendum est: Quia in verb. Benedictio collect. 59. num. 3. referendo eademmet Decreta, dicit idem Barbof. quod, ut Episcopus possit hanc facultatem aliis delegare, exigitur licentia Sedis Apostolicae, & ita concordat cum Gavanto, cui cum praxis ita servet, & ipse adherere non dubito, quicquid sit, an speculativè loquendo opinio Nicolii sustineri possit, nec nè. Et hanc Sententiam tenet modernus Corsett. prax. Coerem tract. 1. part. 2. cap. 14. num. 1. ubi quod haec benedictio sit de potestate Ordinis.*

53 *Tandem in constitutione Vicarii Generalis, sive pauca, sive multa, sive plura, sive omnia specialia concedantur, semper collationem Beneficiorum sibi ipsis Episcopi reservent; tum quia congruit, quod soli possint dignos, & meritos Ecclesiae praemio fovere; tum ne Vicarius,*

qui habet facultatem ad tempus substituendi, affectando causam absentiae, vel alterius necessitatis, alium substituat, ut sibi conferat, quod facere validè possit, prout sustinet Zecch. de Republ. Eccles. tit. de Vicar. Episc. cap. 23. post num. 4. §. Et ubi Vicarius interpretatione sexta; Tum demum ne collusionis, aut cujusvis alterius factionis praevae cum proviso suscipiendi occasio relinquatur.

54 *Cætera, quae pertinent ad officium, potestatem ordinariam, durationem, & praereminentias Vicarii, & Officialis Generalis Episcopi, videri possunt apud Cucch. & Jacob. Sbroz. qui integros, & absolutos ediderunt Tractatus, necnon Tusch. lit. V. conclus. 189. Zecch. Barb. Pac. Jord. Ventrigl. & Pirhing. in locis supra allegatis: Non enim ad haec transcribenda calamum paravi; sed tantummodò pro intelligentia clausularum in formulis contentarum, quae non omnibus in foro Ecclesiastico versantibus obvia est, explanationis Provinciam licet exiguam pro mea tenuitate aggredior.*

Deputationis Vicarii Generalis Capituli.

FORMULA II.

SUMMARIUM.

- 1 *Capitulum etiam extra casum mortis Episcopi potest Vicarium constituere.*
- 2 *Capitulum non eligit Vicarium, quando Vicarius Episcopi in remotis degentis moritur, vel est suspensus, aut excommunicatus, vel missus à Congregatione, sed recurritur pro provisione ad Sedem Apostolicam.*
- 3 *Tempus à Concilio praefixum pro electione Vicarii Capitulari incipit currere à die scientiae mortis certae, & non praesumptae, vel à die translationis ad altam Ecclesiam.*
- 4 *Capitulo negligente eligere, vel nulliter eligente, electio Vicarii devolvitur*

- vitur utroque casu ad Metropolitanum, & num. 5.
- 6 Capitulum iterum eligit Vicarium, si constitutus à Metropolitanò decederet.
- 7 Canonici absentes non debent vocari ad Capitulum electionis Vicarii, nisi commodè fieri possit.
- 8 Canonici absentes, qui de consuetudine vocandi sunt, non sunt vocandi, nisi sint intra Provinciam.
- 9 Canonici quocummodo absentes, non sunt vocandi, si ita consuetudo obtinuit.
- Capitulo electionis Vicarii præter Canonicos vocandi sunt etiam ii, qui de jure non sunt de Capitulo, si adest consuetudo illos vocandi, ibid.
- 10 Electio Vicarii Capitularis debet fieri secretis suffragiis.
- 11 Capituli resolutiones debent fieri secretis suffragiis.
- 12 Vicarius Capituli debet esse Doctor in jure Canonico, & non in Civili tantum.
- 13 Capitulum unum tantum Vicarium eligit.
- 14 Capitulum Vicarium non potest constituere ad tempus, sed illum pro toto tempore Sedis vacantis deputare debet.
- 15 Vicario Capituli debetur salarium ex redditibus Ecclesiæ vacantis.
- 16 Capitulum in constitutione, & electione Vicarii non potest sibi aliquid reservare, seu potestatem electi coarctare.
- 17 Vicarius Capituli, si allegetur, suspectus, non potest procedere sine adjunctis.
- Quod procedit etiam in Vicario Episcopi, & in ipsomet Episcopo, ibid.
- 18 Vicarius Capituli cognoscit causas violationis immunitatis Ecclesiæ exceptis casibus Bullæ Greg. XIV. quorum cognitio sede vacante ad Episcopum viciniorem devolvitur.
- 19 Vicarius Capituli, sicuti nec Episcopi, nec Apostolicus possunt absolvere à censuris incuris, seu fulminatis ob læsam Immunitatem Ecclesiasticam.
- 20 Metropolitanus non absolvit subditos suffraganei, neque appellationes debet recipere in causis læsæ Immunitatis, nisi integraliter restituta.
- 21 Vicarius Capituli potest ex causa resignationes Beneficiorum admittere.
- 22 Vicarius Capituli concedit dimissorias post annum, & infra annum archæatis, aliisque ratione Beneficii recepti, vel recipiendi.
- 23 Vicarius Capituli concedit infra annum etiam non archæatis dimissorias pro prima Tonsura.
- 24 Vicarius Capituli aliquando de Voto pleni Capituli concedit etiam infra annum dimissorias.
- 25 Vicarius Capituli utilius esset, quod post annum dare dimissorias semper de Vota pleni Capituli, & de ratione.
- 26 Vicarius Capituli dispensat super interstitiis data speciali commissione.
- 27 Vicarius Capituli non Doctor debet habere Consultorem Doctorem ab ipsomet assumendum.
- 28 Vicarius Capituli non debet constitui juxtà formulas traditas à Quarant. & Barbof.

Nos Archidiaconus, Canonici, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ N. Sede Vacante per mortem bon. mem. N. Episcopi.

Admodum Rev. D. N. J. V. D. salutem in Domino sempiternam.

CUM ex Sacrorum Canonum dispositione Cathedralium Ecclesiarum Capitula in locum deficientium Episcoporum (præsertim si ex humanis eripi contigerit) subrogentur, eisque in spiritualibus, & temporalibus succedant, eorumque

que munus sit, viduatis Ecclesiis, ita consulere, ut Ministrorum solertia, atque diligentia incommoda minimè sentiri permittant. Ne igitur supradicta Ecclesia culpa nostra aliquid detrimenti patiat, Nos Canonicis sanctionibus, & Sac. Concil. Trid. Decretis, ut par est obtemperando, vocatis omnibus, & singulis Canonicis intra tempus octo dierum à prefato Concilio statutum ad Vicarium, qui vices nostras sustinere debeat, deputandum, congregatisque his, qui debuerunt, potuerunt, & voluerunt interesse, habitis Capitulariter, secretisque suffragiis, sive Votis omnium, seu majoris partis interessentium, & ut permittitur congregatorum: Te Advocatum Rev. D. N. I. V. D. supradictum de cujus probitate, scientia, & sollicitudine plurimum in Domino confidimus, Generalem in spiritualibus, & temporalibus, Vicarium, & Officiale nostrum in prædicta Ecclesia Cathedrali, Civitate, & Diocesi tenore præsentium deputamus, facimus, creamus, & constituimus pro tempore Sedis Vacantis. Cum omnibus, & singulis facultatibus, privilegiis, honoribus, oneribus, emolumentis, præminentis, & prærogativis ad hujusmodi munus exercendum debitis, necessariis, & opportunis.

Dantes Tibi plenam, & liberam potestatem omnia, & singula exercendi, quæ Capitulo Sede Vacante in utroque Foro à jure permittuntur, & proinde causas omnes tam Civiles, quam Criminales, & mixtas etiam hæresis, & matrimoniales audiendi, cognoscendi, terminandi, ac decidendi, cum facultate excommunicationem, aliasque Ecclesiasticas Censuras, & pœnas etiam pro Ecclesiarum immunitate, & libertate tuenda, ferendi, & infligendi, Resignationes Beneficiorum cum causa recipiendi, præsentatos ad Beneficia Jurispatronatus instituendi, & nova cum reservatione dicti juris dotandi, & erigendi, salvis juribus Episcopalibus. Concursum ad Parochiales vacantes indicendi, & magis dignum ex approbatis præeligendi, ac dimissorias ad Ordines post annum, & infra annum ætatis ad formam Concilii Tridentini concedendi, & super interstitiis dispensandi. Necnon ea omnia faciendi, mandandi, & exequendi, quæ Nos facere, mandare, vel exequi possumus, etiamsi requirerent speciale mandatum (si Vicarius deputatus non esset Doctor, addatur) -- cum Voto tamen Consultoris idonei I. V. D. Tibi bene visi in sententiando, & procedendo ad actus quoscumque irretractabiles, & qui consilio videbuntur indigere.

Precipimus itaque universo Clero hujus Civitatis, & Diocesis, aliisque hujus Ecclesiæ jurisdictioni subjectis, quatenus Te in Vicarium, & Officiale nostrum Generalem, ut præmittitur, recipiant, Tibique tanquam tali in omnibus pareant, & obediant. Dantes Tibi voces, & vices nostras, contradictores, & rebelles pœnis, & Censuris Ecclesiasticis compescendi. In quorum fidem præsentem scribi iussimus per infrascriptum nostræ Curie Notarium, & manu propria subscripsimus, si illoque Capituli iussimus muniri. Datum &c.

ADNOTATIONES.

PRÆSERTIM SI EX HUMANIS ERIPRI CONTIGERIT. Ponitur illa dictio -- Præsertim, ad exprimendum casum minùs dubitabilem, & indicandum, quod etiam extrà casum mortis Episcopi, potest Capitulum Vicarium Generalem constituere, puta si in captivitatem apud fidei

Hostes redigeretur, ad Text. in c. Si Episcopus de suppl. neglig. Prælat. in sexto, Carol. Anton. de Luca ad Ventrig. p. 2. annot. 15. n. 2

2. Non tamen posset Vicarium deputare, si Episcopus degens in remotis, & Vicarius ab eodem relictus moreretur, aut suspensus ab Ordine, vel excommunicatus existeret, quia tunc recurrendum esset

efset ad Sedem Apostolicam pro provisione, Nicol. in *fosc. verb. Vicarius Capituli nu. 57.* Fagnan. in *cap. Per diversitatem à num. 25. usque ad fin. de concess. præb.* Sicuti nec posset illum constituere, quando Vicarius Episcopi defuncti fuisset missus à Sacra Congregatione, ut advertit idem Nicol. *loc. cit. num. 58.*

3 OCTODIERUM. Tempus à Concilio Tridentino statutum incipit à die scientiæ mortis certæ, & non præsumptæ, vel à die translationis ad aliam Ecclesiam, Quarant. in *Sum. Bullar. verb. Capitulum Sed. Vacante in appendice vers. Termino octo dierum*, Barbof. de *Canonic. cap. ultimo num. 32.*

4 Si autem in dicto termino octo dierum à die scientiæ Capitulum eligeret non Doctorem, existentibus Doctoribus, jus eligendi non esset devolutum ad Metropolitanum, sed facta per eum declaratione nullitatis deputationis, remittenda esset nova electio ad Capitulum præfixo termino ad eligendum, sic opinatur Pignatell. *consult. Can. 34. à n. 13. ad 24. to. 8. in nixus rationi*, quod cum devolutio sit pena imposita principaliter ob negligentiam non factæ electionis, non debeat extendi ad casum, quo actus iste gestus quidem fuit, sed nulliter.

5 Verùm relicto Pignatello adhæreas Quarant. in *Sum. Bullar. verb. Archiepisc. auctoritas n. 36.* Barbof. *supra Conc. sess. 24. cap. 16. nu. 28. de Reform. & de jur. Eccles. lib. 1. cap. 7. n. 102.* Ventrigl. *prax. tit. de jurisd. Archiep. cap. 49. n. 23.* Card. de Luc. de *Canonic. discurs. 24. n. 7. & discurs. 25. n. 3.* firmantes Concilium Trid. illis verbis: *Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatione hujusmodi devolvatur*, utrumque casum pariformiter comprehendere ad effectum devolutionis, quod scilicet sive Capitulum negligat suam facultatem exercere intra octo dies, sive malè exerceat inhabilem eligendo, pro illa vice privetur tali facultate, quæ devolvatur ad Metropolitanum, vel viciniorem juxtà dispositionem Concilii.

6 At si Vicarius deputatus per Metropolitanum, vel viciniorem ob negligentiam, vel malam electionem Capituli, decederet, tunc posset Capitulum novum eligere Vicarium infra octo dies, ut priùs,

quia pro prima vice tantum jus amisit Barbof. de *jur. Eccles. dict. cap. 7. dict. num. 102. in fin.*

7 QUI DEBUERUNT. Canonici absentes non debent vocari, nisi commode fieri possit: Nec ita absentes possunt mittere, aut constituere Procuratorem ad ferendum in electione suffragium, Glof. & Canonistæ communiter in *cap. Quia propter de elect.* Quia eo ipso, quod Canonicus transit ad locum, ex quo commode vocari non possit, facit se extraneum, & perdit jus ad eligendum, Passerin. de *elect. cap. 10. num. 37.*

8 Quatenus autem adesset consuetudo legitime præscripta admittendi in electione Canonicos absentes per Procuratorem, talis consuetudo esset intelligenda, & restringenda ad absentes intra Provinciam & ibidem detentos aliquo legitimo impedimento de tempore actualis electionis Vicarii, prout censuit, & declaravit *Sacr. Concilii Congregatio in Hydruntina 11. April. 1699.* in qua non obstante prætensa, & allegata consuetudine admittendi absentes per Procuratorem, fuit declarata nulla electio Officialium, in qua fuerunt ad votandum admissi per Procuratorem duo Canonici, qui morabantur Neapoli.

9 Et si è contrà adesset consuetudo non vocandi quoquo modo absentes à Civitate, servanda esset, & admittenda, ut dixit *Rot. coram Cels. decis. 85. n. 11.* Si autem præter Canonicos vocandi essent juxtà consuetudinem præscriptam alii de Clero, qui aliàs de jure non dicuntur de corpore Capituli, prout sunt Portionarii, alique Beneficiati Ecclesiæ, esset pariter consuetudo servanda, ut respondit *Sacr. Congreg. Concilii in Castellaneten. 1. Decembris 1696. & in Nullius Altamura 9. Decembris 1690. & 4. Aprilis 1593.* Dixi juxtà consuetudinem præscriptam, quia si pauci tantum actus afferantur, in quibus ii, qui non sunt de corpore Capituli, fuissent admissi ad suffragium ferendum, & consuetudo non esset legitime probata, nec pacifica, Capitulum posset illos excludere, & jus suum vindicare, ut accidit in *Recineten. proposita in Sac. Congregat. Concilii 4. Junii 1701.* in qua Altaristæ Cathédralis, qui pluries in electione Vica-

Vicarii Capitularis interfuerunt, & suffragium dederunt, fuerunt exclusi, ex quo consuetudo non erat pacifica, neque legitime præscripta.

10 **SECRETIS QUE SUFFRAGIIS**. Quamquam *Conc. Trid. in cap. 16. sess. 24. de Reform.* formam scrutini in habenda electione Vicarii Capitularis non præscribat, adhuc cum agatur de electione, & deputatione Prælati habentis jurisdictionem, videtur quod in dandis suffragiis servanda sit dispositio *cap. Quia propter de elect. ad tradita per Passerin. de elect. cap. 9. q. 8. num. 53. & seqq.*

11 Et si fortè in aliqua Cathedrali esset usus, sive potiùs abusu suffragia publicè, & in aperto præstandi, omninò tollendus esset, non solum in ista Vicarii electione, sed etiam in aliis resolutionibus Capitularibus, ut liberiùs quisque valeat suam sententiam dicere, propriaque exonerare conscientiam, & ut ità evitentur jurgia, rixæ, & inimicitia inter Capitulares, prout expedire censuit *Sac. Congreg. Concilii in Meleuitana 23. Novembris 1697. & 20. Septembris 1698. & sanctissima esse statuta, quæ mandant, ut secretis suffragiis negotia Capituli resolvantur, dicit Garz. de Benefic. part. 5. cap. 4. num. 185.*

12 **J. U. D.** Vicarius Generalis Capituli, debet esse Doctor in jure Canonico, & non in Civili tantum, *Ricc. in prax. For. Eccles. par. 1. resol. 107. Barbof. de Canon. cap. 42. num. 49. Ventrigl. prax. par. 2. annot. 15. §. 2. num. 5. Card. de Luc. annot. ad Concil. disc. 31. num. 16.*

13 **VICARIUM NOSTRUM** Unum tantum Vicarium Generalem deputare potest Capitulum, & non plures, nisi adesset in loco immemorabilis consuetudo eligendi duces, vel essent duo Episcopatus uniti, & unusquisque haberet suum Capitulum, & Ecclesiam Cathedralem, *Garz. de Benef. in addit. ad cap. 7. num. 37. Quarant. in Sum. Bull. verb. Capitulum Sed. Vacant. num. 9. Ricc. decis. Archiep. Neapol. 193. num. 1. & 2. par. 4. Barbof. de Canon. cap. ultimo num. 33. Fagnan. in cap. His quæ nu. 68. de major. & obed. Nicol. lucubr. Can. lib. 1. cap. 28. resp. 10.*

14 **PRO TEMPORE SEDIS VACANTIS**. Non potest Capitulum

Vicarium eligere ad tempus, puta ad sex menses, sed debet illum constituere pro toto tempore Sedis Vacantis: Quicquid enim in contrarium dixerint Quarant. *ubi sup. num. 4. Garz. de Benef. p. 5. cap. 7. nu. 25. & seqq. Ventrigl. prax. par. 2. annot. 15. §. 2. num. 18. & 19.* aliivè ab eis allegati, eorum opinio in praxi non servatur, sed inconcussè nostra conclusio vera est, & idè sequenda, prout sequuntur *Nicol. in flos. verb. Vicarius Capitularis nu. 59. & in lucubr. Canon. lib. 1. cap. 28. de Offic. Vicar. num. 18. Fagnan. in dict. cap. His quæ num. 71. de major. & obed. quod comprobatur Decretis Sacr. Congregationis Episcop. quibus prohibetur amotio Vicarii Capitularis sine justa causa cognoscenda, & approbanda ab eadem Congregatione, ut in Montis Regalis 17. Junii, in Neapolitana 1. Septembris, in Tarantina 22. ejusdem 1603. & in Arcetina 26. Octobris 1604. cum aliis apud Nicol. loc. citat. num. 54. §. 4.*

15 **EMOLUMENTIS**. Debetur Vicario Capitulari salarium ex redditibus Ecclesiæ vacantis, ex quibus deduci etiam debent aliæ expensæ necessariae pro carta, & Ministris Curia, ad quas tenetur Camera Apostolica in locis, ubi vigent, & percipit spolia. *Tusc. lit. C. concl. 56. num. 9. Quarant. in Sum. Bullar. verb. Capitulum Sed. Vac. num. 7. Nicol. flos. ubi supra num. 79. cum aliis quos allegat, & sequitur Ventrigl. prax. p. 2. annot. 15. §. 1. num. 24. & §. 2. num. 35.*

16 **PLENAM**. Non enim potest Capitulum in deputatione Vicarii, seu litteris patentibus aliquid sibi reservare, aut potestatem electi coarctare, seu restringere: Et si de facto conditione, aut modificatione aliqua Vicarium eligeret, possèt iste restrictionibus non obstantibus munus suum liberè exercere usque ad adventum novi Episcopi, prout passim solet rescribere Sacr. Congreg. Episcop. & egomet obtinui pro D. Archidiacono Dominico Cannia electo Vicario Capitulari Venusino, Viro probò, doctrinaque ornato, 14. Novembris 1698. & firman auctoritates suprâ allegatæ in §. Non potest.

17 **COGNOSCENDI**. Si Vicarius Capitularis allegetur suspectus, non potest de

de causa cognoscere, sed tunc recurrendum erit ad Capitulum tanquam Superiorem pro electione Arbitrorum ad cognoscendum de causis suspicionis, eo modo, quo Episcopus potuisset, ut respondit *Sac. Congreg. Conc. 31. Martii 1588. supra cap. 16. sess. 24. de Refor.* ad hoc, ut illi de- tur Adjunctus, *Theaur. For. Eccles. p. 2. c. 1. n. 68.* præsertim in causa, in qua Capitulum haberet interesse, *Fagnan. in cap. Nosti n. 21. de elect.* ubi de Vicario Episcopi suspecto, allegato *Zecch. de Republ. Eccles. c. 23. de Vicar. Episcop. vers. 4. n. 5.* Et de ipsomet Episcopo, si iustis de causis allegetur suspectus, quod debeat procedere cum Adjuncto, rescripsit *Sacr. Congregat. Episc. in Nuscana gravaminis 10. Novembr. 1690. & in Sulmonen. Redditionis Rationis 5. Septembr. 1692.*

18 ETIAM PRO ECCLESIAARUM IMMUNITATE. Habet Vicarius Capituli jurisdictionem cognoscendi causas super violatione Immunitatis Ecclesiasticæ, ut resolvit *Sacr. Congregat. Immunitatis in Tropien. 27. Novembr. 1626.* Non tamen habet facultatem, qua utitur Episcopus in casibus Constitutionis Greg. XIV. super Immunitate Ecclesiarum emanatæ, quæ est in *Bullar. tom. 2. la VII.* nam illorum cognitio Sede Vacante, non ad Vicarium Capituli, sed Episcopum viciniorem spectat, prout eadem *Sacr. Congr. Immunitatis declaravit in Vercell. 8. Novembr. 1650. lib. 4. Decret. Paulus. fol. 125. à tergo.*

19 Item advertere debet Vicarius Capituli, quod non potest nec ipse, nec Vicarius Episcopi, nec Apostolicus absolvere reos cum reincidentia à Censuris incurris, ex causa læsionis Immunitatis, jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ, seu fulminatis, sed pro absolutione debet recurri ad Sedem Apostolicam, cui casus hujusmodi reservatur, ut sæpè declaravit eadem *Sac. Congregat. Immunitatis, & præsertim in Capuana 16. Junii 1632. in Sancti Marci 13. Decembr. 1633. & in Bittuntina 20. Novembr. 1657. & tradit del Ben. de immunit. Eccles. cap. 16. dub. 38. sect. 2. num. 12. tom. 2.*

20 Et hæc procedunt etiam respectu ad Metropolitanum, qui non potest ab-

solvere excommunicatos suffraganei occasione violatæ libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ, neque appellationes admittere, nisi Ecclesia, seu libertas Ecclesiastica in ejus honore integraliter priùs sit restituta, ut rescriptum fuit contra Archiepiscopum Rhegiensem favore Episcopi suffraganei Tropeæ per *Sac. Congreg. Episc. 9. Novembr. 1618.*

21 RESIGNATIONES BENEFICIORUM CUM CAUSA RECIPIENDI. Quando Vicarius Capituli habet hoc speciale expressum in mandato, potest cum causa recipere resignationes Beneficiorum, ut tenet *Garz. de Benef. part. 11. c. 3. n. 255. & 256.* non tamen providere, ut dicam in Appendice.

22 AC DIMISSORIAS. Ex facultate, quam tribuit *Concil. Trid. Vicarius Capituli* concedit post annum dimissorias ad Ordines, & infra annum arctatis, prout sunt præsentandi ad Beneficia Jurispatronatus, *Sacr. Congreg. Episc. in Squillacen. 3. Januarii 1594. Nicol. in fosc. verb. Vicar. Capituli n. 70. vers. Non autem;* alii- que ratione Beneficii recepti, vel recipiendi, puta, si Beneficium debeatur certo generi personarum, ut amplius *Garz. de Benef. part. 5. c. 7. n. 76.* quibus potest Beneficia conferre.

23 Immo quod possit Vicarius Capituli concedere etiam non arctatis infra annum dimissorias pro prima Tonsura, ex eo quia *Concil. in cap. 10. sess. 7. de Reform.* primam Tonsuram non comprehendat, declaravit super *dict. Text. Sac. Congregat. Concilii, & comprobat Fagnan. in cap. Cum contingat num. 39. de atat. & qualis.*

24 Et aliquando conceditur facultas Vicario Capitulari, ut etiam infra annum à die vacationis Sedis Episcopalis possit concedere litteras dimissorias ad Ordines cum voto tamen pleni Capituli, & ubi pro Ecclesiarum ministeriis exequendis necessarium fore judicatur, prout à *Sac. Congr. Episc. concessa fuit Vicario Capitulari Antuerpiensi 15. Martii 1589.*

25 Hoc provisionale Decretum dandi dimissorias ad Ordines infra annum cum voto pleni Capituli utilius foret, si à Sede Apostolica extenderetur per viam legis

legis universalis ad omnes Vicarios Capitulares post annum, ad reparanda mala, quæ eveniunt Ecclesiis illis, quæ ultra annum manent viduatæ Pastore: Nam Vicarii Capituli non semel hac potestate abutuntur, quia prece, consanguinitate, & favoribus, aliisque casibus victi, dimissorias concedunt improbis, illitteratis, & immorigeris Laicis, & Clericis; Clerumque ita miserè labefactant, quod certè non eveniret, si dimissoriæ de voto pleni Capituli essent expediendæ.

26 **ET SUPER INTERSTITIIS DISPENSANDI.** Hæc facultas transit in Vicarium Capituli data speciali commissione, ut pluribus auctoritatibus cumulatis probat Garz. de Benef. in addit. ad 5. par. cap. 7. num. 92. vers. Quando tamen.

27 **CUM VOTO TAMEN CONSULTORIS.** Cum ex conciliari dispositione sess. 24. cap. 16. de Reform. quatenus in Capitulo Doctores in iure Canonico, aut Licentiati non adsint, possit eligi, & deputari in Vicarium magis idoneus non gradatus: Tunc electo per modum consilii, & providentiæ (non autem restrictionis facultatis) debet dari Consultor arbitrio ejusdem Vicarii eligendus, qui sit Doctor, & in rebus legalibus, & arduis peritus, à quo dirigi possit, prout fit quando Vicarius Generalis Episcopi est Theologus, & non jurista, ex Decretis Sac. Congregat. relatis à Nicol. in fosc. in verb. Vicarius Generalis Episcopi n. 30. vers. Nè semper, & in verbo Vicarius Capituli num. 58. Vel quando Judex Delegatus à Sede Apostolica non est Doctor; Nam requisitus debet judicare cum voto Assessoris partibus non suspecti, ut mandat Leo X. Constit. X. §. 9. Bullar. tom. 1. pag. 481.

Dixi quòd iste Consultor, sive Assessor ab ipso Vicario Capituli non Doctore assumendus est, non autem à Capitulo venit deputandus: Quia si hoc faceret Capitulum, deputatio esset nulla, ut decisum refert Nicol. mox citatus d. nu. 58. in una Acernen. 1604. Et sic doctrinam Quarant. in Summ. Bullar. verb. Capitulum Sede Vacante num. 3. & 6. quem sequitur Pac. Jord. lib. 12. tit. 2. de Vic. Capit.

Sede Vacant. num. 16. intelligendam esse, quòd Vicarius Capituli non Doctor, possit sibi Consultorem (immo ex congruentia debeat) assumere, non autem illum Capitulum deputare.

28 Ex hucusque animadversis facile colliges, quòd in constitutione Vicarii Capituli, non est procedendum cum formulis impressis apud Quarant. in Summ. Bullar. verb. Capitulum Sede Vacant. post num. 15. quas transcripsit Pac. Jord. lucubr. tom. 2. lib. 12. tit. 2. nu. 60. & apud Barbof. de Canonic. cap. 42. n. 137. in quibus plura leguntur correctione digna tamquam contraria Decretis Sac. Congregat. Sed videtur inhærendum formulæ hic traditæ, vel si magis placet alteri impressæ apud Nicol. in fosc. verb. Vicarius Capitularis n. 66. quæ in paucis differt.

29 De officio, potestate, & qualitate Vicarii Capituli, scripserunt, Panvin. de Offic. & Potest. cap. Sede Vacant. Garz. de Benef. par. 5. cap. 7. & in addit. ad eundem cap. Pac. Jord. lucubr. tom. 2. lib. 12. tit. 2. Nicol. in fosc. verb. Vic. Capituli. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 15. Marchet. in Prax. Vicar. Capit.

Deputationis Vicarii Monialium.

FORMULA III

SUMMARIUM.

- 1 Gubernium Monialium difficile.
- 2 Vicarii Monialium requisita.
- 3 Licentiæ accessus, vel ingressus ad Monasteria Monialium Regularibus subjecta debent subscribi etiam ab Episcopo: Ac etiam à solo Episcopo, ubi adest consuetudo num. 4. & 5.
- 6 Episcopus potest prohibere Regularibus, nè celebrent in Ecclesiis Monialium.
- Onus celebrandi in Ecclesiis Monialium Regularibus à Testatore injectum, debet transferri ad eorum Ecclesias, ibid.
- 7 Moniales de licentia Superioris possunt

sunt expendere minuta.
 8 *Episcopus pro tuenda Clausura Monialium, jurisdictionem habet in exemptas.*

9 *Quae dantur ad Clausuram dantur à solo Episcopo, qui talem facultatem potest delegare Vicario Generali dumtaxat.*

N. Episcopus N.

Dilecto N. N. salutem &c.

Virginibus Deo Sacris, quarum jugi cura sollicitudo Paëtoralis Nos urget, salubriter providere cupientes. Ne Nobis aliis totius Diœcesis ærumnis intenti aliquod illarum gubernium detrimentum patiat, & gravi *sub onere fatiscamus*: Te de cujus *probitate, idoneitate, & fidelitate* valdè in Domino confidimus, Vicarium, & Officiale nostrum Monialium tam Civitatis, quàm Diœcesis facimus, deputamus, & constituimus ad nostrum beneplacitum. Dantes Tibi facultatem Moniales *etiam Regularibus subiectas* alloquendi, licentias (servata forma nostrorum Edictorum, & Decretorum Apostolicorum respectu ad Regulares in primo, & secundo gradu conjunctos) tam maribus, quàm fœminis concedendi, educandas servatis conditionibus in licentiis à Sac. Congreg. obtinendis præscriptis in Monasteriis, in quibus recipi, & admitti solent, recipiendi, Missas in earundem Monialium Ecclesiis Sacerdotibus Sæcularibus, & *Regularibus* celebrandi, ad habitum Religionis Puellas, & ad solemnem professionem Novitias, præmissa voluntatis exploratione per Nos, vel Delegatum facienda, admittendi, electioni Abbatissarum etiam Monasteriorum Regularibus subiectorum nomine nostro præsidendi, *minuta subventionum retinendi, & expendendi*, & alia gerendi, & faciendi, quæ ad tuendam servandamque Clausuram, etiam si Moniales *Regularibus subiectæ, aut aliàs exemptæ sint*, & dummodò judicialiter agendum non sit, *noscuntur pertinere. Licentias autem ingressus in Clausuram, visitationem, & Confessariorum approbationem* Nobis reservamus. Mandamusq; propterea Abbatissis, Vicariis, & Monialibus Monasteriorum nostræ jurisdictioni subiectorum, & etiam exemptorum, aliisque quibus pertinet, ut Te in talem recipiant, & agnoscant, & in præmissis plenariè obtemperent. Si quis autem inobediens fuerit, condigna pœna plectetur. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius.

ADNOTATIONES.

num. 2. Donat. prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 3. quæst. 5. num. 2.

1 **G**RAVI SUB ONERE FATISCAMUS. Una ex præcipuis curis Episcoporum est gubernium Monialium, quod, si bene regatur, cætera Paëtoralis regiminis inter maris scopulos tuto navigio vigilantia superabit, Leo *Theaur. For. Eccles. par. 2. cap. 1. n. 33. Pac. Jord. lucubr. tom. 2. lib. 7. tit. 12. Monacelli Form. Pars I.*

2. **PROBITATE, IDONEITATE, ET FIDELITATE.** Eligendus in Vicarium Monialium debet esse ætate provectus, non minùs 40. annorum, Presbyter sani consilii, morum probitate irreprehensibilis, fidelitate spectabilis, qui possit in hoc munere ostendere gravitatem, & omnia facere cum honesta-

B nest-

nestate juxta Apostoli præceptum - *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant*, 1. ad Corinth. 14. c. Cum in cunctis 7. de elect.

3. **ETIAM REGVLARIBVS SVBJECTAS.** Licentiæ accessus, vel ingressus ad Monasteria Monialium Regularibus subiecta, quicquid dicat Lantusch. in *Theatr. Regul. verb. Clausura Monialium nu. 13.* debent nedum à Superiore Regulari, sed etiam ab Ordinario, vel ejus Vicario subscribi, prout Sac. Congr. Concilii ad tollenda inconvenientia declaravit de anno 1610. & deinde etiam Sac. Congr. Episc. in *Camerinen. 21. Februar. 1617.* in qua præscribitur modus subscriptionis, quæ Decreta per extensum referunt Barbof. de *jur. Eccles. lib. 1. cap. 44. num. 107.* & Passerin. in *c. Periculoso num. 132.* & 169. de *stat. Regular. in sexto*, & nuper eadem Sac. Congr. Concilii idem confirmavit in *Hieracen. 26. Januar. 1692. ad 13.* Donat. de *Regular. tom. 4. tract. 5. quæst. 17. n. 10. & seqq.*

4 Ratio motiva fundatur in provisione boni regiminis, & ad tutiorem custodiam Clausuræ, cum Ordinarii habeant meliorem notitiam personarum, quibus licentiæ conceduntur, & facilius punire valent transgressores, ut ex alio Decreto observat Nicol. in *fosc. verb. Clausura n. 17. vers. Ordinarii.*

5 Et hic est, quod ubi adest consuetudo habendi licentias, etiam pro Monasteriis jurisdictioni Regularium subiectis à solo Episcopo servanda est, & à Superiore Regulari non sunt petendæ, Barbof. d. c. 44. d. n. 107. in *sine*, ubi aliud Decretum allegat, de cuius, & aliorum supra adductorum existentia, nullatenus dubitandum esse fidenter asserit Donat. *prax. ver. Regul. tom. 4. tract. 5. d. quæst. 17. n. 13.*

6. **ET REGVLARIBVS CELEBRANDI.** Potest enim Episcopus prohibere, ne in Ecclesiis Monialium celebrentur Missæ non tantum à Sæcularibus, sed neque à Regularibus Sacerdotibus, Nicol. in *fosc. ver. Missa n. 25.* Quod procedit, etiam si illis ex præcepto Testatoris reperiretur injunctum; nam tunc onus esset transferendum ad illorum Ecclesiam, vel alibi, prout Sac. Congr. Episc. prohibitionem laudando rescripsit *Venetiarum Patriarchæ 15. Junii 1592.*

7. **MINUTA RETINENDI, ET EXPENDENDI.** Potest Superior permittere Monialibus, præsertim in illis Monasteriis, in quibus ob deficientiam reddituum exacta vita communis non servatur, ut possint aliquid minutum ex subventionibus, quas à consanguineis recipiunt, retinere, & expendere pro illarum indigentis, ac rebus necessariis, puta scutum unum in singulo mense, absque eo quod cogantur singulis vicibus pecunias recipere è manibus depositariæ, aut alterius Ministri Monasterii, prout rescribendo Archiepiscopo Neapolitano jussu Clem. VIII. pro interpretatione Decretorum super reformatione emanatorum, declaravit Sac. Congregatio Episc. cujus litterarum tenorem refert Quar. in *Sum. Bullar. verb. Monasteria Monialium pag. mibi 358.* & meminit Piafec. *prax. Episc. par. 2. cap. 3. art. 7. pag. mibi 262.*

8. **REGVLARIBVS SVBJECTÆ, AVT ALLAS EXEMPTÆ.** Pro tuenda conservandaque Clausura, Ordinarii locorum jurisdictionem habent in Monasteria Monialium Regimini Regularium subiectarum, vel alio modo exemptarum, tum vigore Decretorum Concilii *Triad. sess. 25. de Regular. cap. 5. & 9.* tum virtute *Constit. Gregor. XV. impressæ in Bullar. novo tom. 4. Constit. 18. Sac. Congr. Concilii in Hieracen. 26. Januarii 1692.*

9. **NOSCVNTVR PERTINERE.** Dicuntur pertinere ad Clausuram. Primò, visitatio Monasterii etiam inconsultis Superioribus Regularibus (quæ tamquam de re gravi hic in formula non permittitur Vicario, sed Episcopo reservatur) Secundò, deputatio Custodis clavis, Januæ Clausuræ. Tertio, accessus ad collocutoria, & ad alias Monasteriorum partes. Quarto, publicatio Edicti prohibitionis accessus ad Monasteria Monialium. Quintò, ingressus in Clausuram. Sextò, elevatio, seu reparatio fabricæ. Septimò, exploratio voluntatis Puellarum statum Religionis amplecti cupientium. Octavò, præsentia in electione Abbatissarum. Nonò, approbatio Confessariorum tam Ordinariorum, quam Extraordinariorum. Decimò, redditio rationum ad formam Bullæ Greg. XV.

XV. Undecimò, remotio prospectuum. De quibus omnibus agunt Fagnan. in c. *Quando de privileg. per tot.* Lauret. de Franch. par. 1. ibique Pasqual. num. 174. Nicol. in flos. verb. *Clausura*, Lantusch. *Theatr. Regul. verb. Abbatissa*, Chrispin. de *visit. par. 1. §. 13. num. 36. & par. 2. §. 28. n. 5. & 6. Sacr. Congr. Episc. in Camerinen. 7. Martii 1617. & Sacr. Congr. Concilii in dicta Hieracen. 26. Januar. 1692.*

10. LICENTIAS AUTEM INGRESSVS IN CLAUSURAM. Facultas concedendi licentias ingressus in Clausuram reservatur Episcopo, quia per eum non potest delegari, nisi Vicario Generali, juxta Decretum *Sac. Congr. Concilii emanatum in Senen. 6. Augusti 1599.* quod per extensum refert Chrispin. de *visit. part. 2. §. 42. n. 76.* & hoc ex dispositione Concilii provenire tradit Pelizar. de *Monial. c. 5. num. 145. & 147.*

Et licet Tambur. de *jure Abb. disp. 23. q. 3. n. 4.* putet posse Episcopum, aliumve Superiorem hanc eandem facultatem Abbatissæ, vel Confessariis delegare: ejus opinio videtur reprobata, ex citato Decreto à Chrispino allegato in *responsione ad secundum dubium*, ibi -- *Ad secundum respondit, Hanc facultatem esse omnino tribuendam per scripturam, & Vicario Generali dumtaxat: Quod Decretum cum Tamburin. fortè non viderit, erit excusandus, sed non sequendus.*

Deputationis Vicarii Foranei.

FORMULA IV.

SUMMARIUM.

- 1 Vicarii Foranei pro expeditione rerum levium debent constitui in locis Diœcesis.
- 2 Vicarius Foraneus est Judex Delegatus cumulative cum Vicario Generali.
- 3 Vicariis Foraneis committi non debent causæ graves, & de ratione.
- 4 Judex præter salem conscientiæ, debet habere salem scientiæ.
- 5 Vicarii Foranei, an valeant interponere Decreta in contractibus minorum?
- 6 Vicarius Foraneus ratione officii non præcedit alios Presbyteros, nisi adsit consuetudo.
- 7 Vicarius Foraneus non potest esse Executor Brevium Apostolicorum, nisi ex certa scientia Papæ, vel sit etiam Canonicus Cathedralis.
- 8 Vicario Foraneo non potest Episcopus delegare facultatem concedendi Monitoria ad finem revelandi.
- 9 Vicarius Foraneus potest sibi, & Executoribus applicare tertiam partem pœnarum exactarum à violatoribus Festorum.

N. Dei, & Apostolicę Sedis gratia Episcopus N.

Dilecto N. &c.

Omibus nostrę jurisdictioni subiectis pro administratione justitię providere cupientes, & ne pro rebus levibus, præsertim in Civilibus, extrà locum domicilii lites sustinere cogantur: Te de cujus probitate, & idoneitate plurimum in Domino confidimus, in nostrum Vicarium Foraneum ad beneplacitum nostrum loci N. nostrę Diœcesis facimus, constituimus, & deputamus. Dantes Tibi facultatem causas Civiles usque ad summam scutorum . . . , & non ultra audiendi, cognoscendi, & terminandi; in Criminalibus verò levibus Testes examinandi, Processum informativum conficiendi, & ad nostrum Vicarium Generalem transmittendi: aliaque negocia ad jurisdictionem, & Tribunal Episcopale spectantia audiendi, & postea Nobis referendi; & alia faciendi, quę Vicarii Foranei dicti loci pro tempore facere consueverunt, cum omnibus honoribus, oneribus, & emolu-

B 2 men-

mentis solitis, & consuetis, mandantes omnibus ad quos spectat, ut Te in talem recognoscant, Tibique obediant sub pœnis arbitrio nostro infligendis. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius.

ADNOTATIONES.

1. **EXTRA LOCUM DOMICILII.** Ad sublevandum Diœcesanos ab incommodis itineris, & expensarum, & ne pro rebus levibus cogantur Civitatem petere, tenetur Episcopus deputare in locis Diœcesis Vicarios Foraneos, ut decrevit *Sac. Cong. Episc. in Trojana* 27. Martii 1590. *Nicol. lucubr. Can. lib. 1. tit. 28. de Offic. Vic. num. 29. Peregr. prax. Vic. p. 1. sect. 7. subsect. unica num. 4.*

2. **LITES SUSTINERE COGANTUR.** Hoc est ex defectu; & carentia Judicis in loco domicilii; non autem ut Vicarius Foraneus ita constituitur, quod debeat esse Judex loci privativè, sed cumulativè in causis delegatis cum Vicario Generali: Et non ut Vicarius Foraneus præveniendi prætereundere possit, quod Vicarius Generalis, vel Episcopus non possit ampliùs causas prædictas ad se advocare, & reassumere; sed quod possit Vicarius Foraneus in illis, Episcopo non revocante, judicare, ut tradit *Tondut. de prævent. par. 2. cap. 1. n. 20. & 21.*

3. **USQUE AD SUMMAM.** In causis Civilibus coarctatur facultas Vicarii Foranei judicandi in parvis summis, habito respectu ad qualitatem loci, & ut plurimum in causis scuta quinque non excedentibus: Tum quia in majoribus adest præjudicium Tribunalis Episcopi: Tum quia cum hujusmodi Vicarii (regulariter loquendo) non sint in jure, nec in judicando valdè periti, non debent eis committi causæ graviores, ne subditi majus damnum sentiant quàm lucrum, ut dicit *Card. de Luca de jurisd. disc. 23. n. 2. Sac. Congreg. Episc. in Motulen. 9. Junii 1592.* Nisi particulariter, & expressè majores causæ delegentur, *Sac. Congr. Conc. in Hortana* 20. Junii 1693.

4. **IN CRIMINALIBUS PE-**

RO LEVIBVS. Datur facultas in causis, criminalibus levibus Processum informativum conficiendi: Nam quæ sunt relevantes, & graves, non sunt committendæ, nisi Judicibus Peritis propter periculum nullitatum Processus: Judex enim præter salem conscientiæ, debet habere quoque salem scientiæ, ad *Text. in l. neminem la. §. Juris peritos Cod. de advoc. divers. Judic. Mastrill. de Magistr. lib. 2. cap. 3. nu. 1. cum plurib. seqq. Sac. Congr. Episc. in d. Motulen. 9. Junii 1592.*

5. **CONSERVARE.** Si esset solitum, quod Vicarii Foranei in locis, ubi sunt constituti, interponerent Decreta in contractibus minorum, & mulierum, fortè tales contractus sustinerentur, quamvis Foranei Vicarii non sint Judices Ordinarii, sed Delegati ad certos actus, ut videtur tenere *Rot. coram Seraph. dec. 1004. n. 4. saltem vigore l. Barbarius, ff. de Offic. Præsid.* Cæterum quod hujusmodi Decreta interposita ab istis Judicibus Castrorum, & Villarum in contractibus, & alienationibus bonorum minorum non sustineantur tamquam invalida, tenet *Tusch. litt. D. concl. 125. n. 59.* Quia cum ut plurimum sint imperiti, eorum Decreta non habent præsumptionem justitiæ, *Sabell. in Summ. divers. tract. verb. Decretum nu. 3.* habeantque Vicarii Foranei jurisdictionem delegatam ad certas causas tantum, pro cæteris uti privati habentur, nec delagantem repræsentant, *Menoch. de arbitr. quest. 91. n. 17.*

6. **HONORIBVS.** Vicarius Foraneus ratione officii non præcedit alios Presbyteros, nisi adfit consuetudo, *Barbos. in Summ. dec. Apostol. collect. 720. Nicol. in fosc. verb. Vicar. Capitul. num. 82.* & non obstante contraria Episcopi ordinatione *Barbos. de Canon. c. 5. n. 57.* Præcederet tamen in conferentiis casuum conscientiæ.

7. Neque potest esse Executor Bre-

vium

vium Apostolicorum, nisi ex certa scientia Papæ, vel nisi Vicarius Foraneus esset unus de Canonicis Cathedralis, Pac. Jord. tom. 2. lib. 12. tit. 1. nu. 91. & seqq.

8 Non ei potest Episcopus delegare facultatem concedendi Monitoria ad finem revelandi, ut plenè probat Fagnan. in cap. Quoniam n. 43. de potest. Judic. Deleg. & est contra Barbol. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 96. num. 9. tenentem, hanc facultatem delegabilem esse Vicario Foraneo.

9 EMOLUMENTIS. Tertiam partem penarum à Festorum violatoribus exactarum sibi, & Executoribus applicare posse, dixit Nicol. in fosc. verb. Vicarius Capitularis num. 83.

Deputationis Cancellarii.

FORMULA V.

SUMMARIUM.

- 1 Deputatio Cancellarii Episcopi debet in actis, registrari.
- 2 Scripturæ, & Instrumenta, que rogantur à Cancellario Episcopi uti Cancellario, servari debent in Cancellaria, nec transferri ad Archivium Communitatis.
- 3 Episcopus potest per Edictum præcipere, quod Notarii exhibeant in Cancellaria Episcopali exemplaria Instrumentorum pertinentium ad Monasteria Monialium.

- 4 Episcopus non potest prohibere Capitulo, seu Judicibus Synodalibus, quod non utantur opera alterius Notarii, quam sui Cancellarii, præterquam in visitatione.
- 5 Cancellarii Episcoporum debent esse probi, & misericordes. Cancellarii Episcoporum, si mali sint famam Prælati onerant, & Tribunal Ecclesiasticum in scandalum vertitur Laicorum, ibid.
- 6 Scripturæ Cancellarii Episcopi plenam fidem faciunt etiam in foro Laico.
- 7 Clerici possunt esse Cancellarii Tribunalis Episcopi, prout pluries sunt in Regno Neapolitano.
- 8 Cancellarius Episcopi Laicus gaudet privilegio fori, & exemptionem ab oneribus personalibus.
- 9 Cancellarius Episcopi in emolumentis exigendis debet servare (saltem in Italia) Taxam Innocentianam in his, in quibus ipsa Taxa disponit. Cancellarius, sive Notarius debet exigere vnercedem taxatam à lege, & si aliquid ultra recipiat, peccat, & tenetur ad restitutionem, ibid.
- 10 Cancellarius Episcopi pro mercede copie Processus tenentur servare Taxam hic præscriptam à Sacra Congregatione, & num. 11.
- 12 Cancellario suspectio allegato, datur alius Actuarius.

N. Episcopus N.

Dilecto &c.

Cum de idoneo Cancellario providere cupiamus, qui Nobis, & Tribunali nostro inserviat, & quæ in illo agenda sunt diligenter adimpleat, & scripturas, librosque ad nostram Cancellariam spectantes fideliter custodiat, erga personam tuam mentis aciem direximus, cujus vitæ honestas, morum probitas, fides, diligentia, habilitas, alique qualitates apud Nos multiplici commendantur testimonio. Quapropter illarum intuitu tenore præsentium auctoritate nostra ordinaria, & omni alio meliori modo, quo possumus, Te in nostrum Cancellarium eligimus, & deputamus cum facultate universa, & singula agendi, & faciendi tam in voce, quam in scriptis, quæ gerere, & facere possunt, & debent Cancellarii Episcopales. Itaut tuis scripturis tam publicis, quam privatis durante officio omnis fides in iudicio, & extrà adhibeatur.

Monacelli Form. Pars I.

B 3 Ac

Ac insuper cum omnibus, & singulis exemptionibus, privilegiis, honoribus, & emolumentis, quibus tam de jure, quàm de consuetudine nostri Cancellarii uti, frui, potiri, & gaudere solent, & debent: Mandantes omnibus nostræ jurisdictioni subiectis, cæterisque ad quos pertinet, ut Te in talem agnoscant, & recipiam sub pœnis nostro arbitrio pro modo culpæ infligendis. Præsentibus ad nostrum beneplacitum valituris. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Secretarius.

ADNOTATIONES.

1. **PROVIDERE CUPIAMUS**. Provisione Cancellarii per Episcopum facta, debent litteræ Patentès in actis Cancellariæ per Secretarium Episcopi registrari, ne umquam de validitate, & legalitate gestorum Cancellarii electi valeat dubitari; multumque interest, ut de deputatione constet ex ipsis Actis Cancellariæ.

2. **CUSTODIAT**. Scripturæ, & Instrumenta, quæ conficiuntur, & rogantur à Cancellario Episcopi tamquam Cancellario, servari debent in Episcopali Cancellaria, non autem transferri debent in Archivio Communitatis, sicuti tenentur facere alii Notarii ad præscriptum Bullæ 83. Sixti V. prout declaravit Sac. Congreg. Concilii 5. Novembris 1625. cujus Decretum refert per extensum Pignatell. *Consult. Can. 210. n. 3. tom. 4.* in quo enumerantur omnes scripturæ, quæ pertinere dicuntur ad Curiam Episcopalem.

3. Immò potest Episcopus per Edictum præceptum facere aliis Notariis, quod exhibere debeant in Cancellaria Episcopali acta, seu rogitus, illorumque exemplaria spectantia ad Monasteria Monialium, prout laudando Episcopum Eugubinum, qui tale mandatum dederat respondit Sac. Congreg. Episc. 31. Januarii 1596.

4. Non posset tamen prohibere, quod Judices Synodales, aut Capitulum non valeant uti opera alterius Notarii, quàm sui Cancellarii in conficiendis Instrumentis contractuum, præterquam in vi-

sitatione, Nicol. in *fosc. verb. Deposium num. 4. & verb. Judex num. 25. & in lucubr. Can. lib. 1. tit. 3. num. 17.*

5. **MORUM PROBITAS**. Cancellarii Fori Ecclesiastici debent esse probi, bonæque famæ, & æstimationis, non autem (ut non semel contigit) vitiis dediti, aut lupinis uberibus pecunias inhiantes. Ideoque Episcopi aliive Prælati jurisdictionem habentes, qui illis utuntur, multum invigilare debent, ut huic officio viri misericordes, & probatæ vitæ destinentur. Hi etenim Cancellarii, si mali sunt, non tantum propriam, sed Prælati famam, & bonum nomen fædant, & deturpant, rudes, & pauperes excoriant, & Tribunal Ecclesiasticum, quod debet esse in exemplum Foro Laico, potius in scandalum vertitur, & quicquid in eo agitur turpe, alibi licitum reputatur.

6. **TAM PUBLICIS, QUAM PRIVATIS**. Licet hic in formula Cancellarius non creetur Notarius (sicut Episcopus posset pro tota sua Diœcesi) adhuc ejus scripturæ plenam fidem faciunt etiam in Foro Sæculari tamquam factæ à publico Ministro habente facultatem Notarii publici, ut per doctrinam Abb. in *cap. 2. de fid. Instrum.* probant Passer. *de stat. hom. tom. 2. quæst. 187. art. 2. num. 54.*

7. Et hinc fit, quod Clerici, quibus est interdictum officium Tabellionatus, ut in *cap. Sicut Te ne Cler. vel Monach.* ubi plenè Fagnan. nihilominus ad officium Cancellarii Curie Ecclesiasticæ possit assumi, Bellett. *disq. Cler. par. 1. de discipl. Cler.*

Cler. §. 29. num. 9. Ciarlin. contr. 63. n. 15. Sicuti passim assumuntur in omnibus ferè Curis Ecclesiasticis Regni Neapolitani, ubi vocantur Magistri Actorum, & tradit Piafec. prax. Episc. loco citato num. 47. afferens magis expedire Cancellarios esse Clericos, quam Laicos, cui adheret Pac. Jord. lucubr. tom. 2. lib. 7. tit. 1. num. 15.

8 **EXEMPTIONIBUS**. Si Cancellarius Episcopi est Laicus, gaudet privilegio Fori, ut communiter docent Ciarlin. dicta contr. 63. num. 12. & contr. 20. num. 34. Gratian. discept. 340. per tot. Spere. decif. 128. num. 34. Bellet. disq. Cler. par. 1. de favor. Cler. real. §. 1. num. 24. Nicol. in fosc. verb. Cancellarius num. 7. & lucubr. Can. lib. 5. tit. 39. nu. 109. ampl. 5. Sac. Con. Immunitatis in Beneventana 21. Januarii 1631. in Fundana 25. Novembris 1636. & in Aquinaten. 17. Junii 1649. in qua fuit etiam declaratum gaudere debere exemptione ab oneribus personalibus.

9 **EMOLUMENTIS**. In emolumentis exigendis debet Cancellarius servare Taxam Innocentianam (quæ saltem in Italia fuit publicata per viam legis universalis) in his, in quibus ipsa Taxa disponit; in reliquis verò vel Metropolitanam, vel propriam Diocesim, quatenus non sit rigidior, & contra Decreta Sacræ Congregationis, ut responsum fuit à Sac. Congregat. Episc. in Thelesina 19. Aprilis 1697. Quando enim merces reperitur taxata à lege, illam tenetur Notarius, sive Cancellarius exigere, nec potest aliqui ultra recipere, & contrarium faciens, nedum peccat, sed tenetur ad restitutionem, ut pluribus allegatis firmat Passerin. in c. Statum, §. Notarium num. 321. & 322. de rescript. in sexto, ubi hunc Notarii excessum appellat crimen concussionis.

10 Pro mercede verò copiarum Processuum, sive Actorum servanda erit Taxa pluries à Sac. Congr. Episc. approbata, & præsertim in Larinen. 7. Julii 1690. in qua recurrent Dominico Sorella fuit Episcopo injunctum--Che pagandosi dal meseesimo la mercede al Cancelliere alla ra-

gione di bajocchi due, e mezzo per qualsivoglia facciata di carta di venti versi, continenti venti lettere per ciascun verso, trametta all' EE. Loro la copia autentica de' predetti Atti &c.

11 Et in Savonen. 4. Septembris 1693. recurrentibus Cappellanis, & Sacerdotibus Burgi Finalis, proponunt clar. mem. Card. Petrucci fuit rescriptum--Ad mentem Eminentissimi Ponentis, & mens fuit quod nomine Congregationis injungeret Ordinario transmissionem Actorum soluta mercede juxta supradictam Taxam, prout mandavit transmitti Decreto frequenti--Cancellarius, & alii Actuarii, seu Officiales, & Ministri Curie Episcopalis Savonen. soluta ipsis per Oratores mercede ad rationem medii julii Romani pro qualibet integra carta, cujus unaquaque pagina conslet saltem viginti lineis, quarum unaquaque contineat saltem viginti litteras, itaut integra carta habeat quadraginta lineas juxta mentem Sacræ Congregationis, integram copiam Processus, & omnium Actorum prædictis Oratoribus tradant, & consignent &c. Datum Romæ 9. Septembris 1693. P. M. Card. Petruccius Ponens.

12 **AGNOSCANTE, ET RECIPIANTE**. Si Cancellarius ex justa, & rationabili causa partibus esset suspectus, debet dari alius Actuarius, ut rescriptis Sac. Congr. Episc. in Aretina 19. Aprilis 1619.

Deputationis Cancellarii Foranei.

FORMULA VI.

SUMMARIUM.

- 1 Cancellarius Vicarii Foranei potest deputari, & retineri in locis Diocesis, ubi constituitur ipse Vicarius, quia est Officialis necessarius, & num. 2. & 3.
- 4 Cancellarius Vicarii Foranei, si est Laicus gaudet privilegio Fori.

N. Episcopus N.

Dilecto &c.

P Robitas, & idoneitas Tua, quibus apud Nos fido commendaris testimonio Nos inducunt, ut quibus *possumus* favoribus Te gratiosè prosequamur, sperantes propterea ea, quæ Tibi committenda sunt, fideliter exequuturum. Idcirco præsentium tenore Te in Cancellarium Episcopalem R. D. N. Vicarii nostri Foranei loci N. ac cujusvis alterius pro tempore existentis cum honoribus, oneribus, *privilegiis*, & exemptionibus solitis, & consuetis ad nostrum beneplacitum constituimus, & deputamus; Mandantes ad quos spectat, ut Te in talem habeant, & recognoscant. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1 POSSUMUS. Quod Episcopus possint habere, & retinere in locis suæ Diœcesis hunc Officiale suadet ipsa ratio constituendi Vicarium Foraneum, qui cum sit Judex Delegatus, & necessarius ad certas causas indiget Actuario, qui acta causarum conscribat, ad Text. *in c. Quoniam contra de probat.*

2 Et quamvis nonnulla Decreta Sac. Congregat. Episc. quæ refert Pignatell. *consult. 5. tom. 4. videantur* huic propositioni contraria, quibus deciditur, quod Episcopus præter Vicarium Foraneum non debeat retinere in locis Diœcesis alios Patentatos, quod iterùm declaratum extitit *in Ferentina 4. Augusti 1690.* Attamen talia Decreta non obstant nostre assertioni quia hæc loquuntur de Patentatis non necessariis pro administratione justitiæ, & pro gubernio Ecclesiastico, prout erat in casu Episcopi Ferentini, qui in omnibus locis Diœcesis retinere prætendebat Vicarium Foraneum, Cancellarium, Depositarium Pignorum; & Birruarium.

3 Cæterùm quoad Cancellarium Foraneum, ubi adest consuetudo illum deputandi, vel necessitas, & qualitas loci id exigit, cum sit Officialis non excogitatus de novo, verum necessarius pro regi-

mine Tribunalis utique deputari, & retineri poterit in locis Diœcesis, ut pluribus relatis firmat Nicol. *lucubr. Can. lib. 5. cap. 39. num. 109. ampl. 5.* & comprobant alia favorabilia *apud eundem* Pignatell. *consult. 51. num. 4. tom. 2.*

4 PRIVILEGIIS. Cancellarium Vicarii Foranei gaudere debere privilegio Fori, pluries resolutum fuit à Sac. Congregatione Immunitatis, & præcipuè *in una Senogallien. 19. Augusti 1630. in Auximana 26. Augusti 1636. & in Aesina 7. Augusti 1657.* Et sic patet ad evidentiam, quod Decreta Sacræ Congregationis Episc. quibus prohibetur retentio Patentatorum præter Vicarium Foraneum, non loquuntur, neque comprehendunt Cancellarium Foraneum: Quia si hunc deputare, & retinere Episcopus non posset, certè neque privilegio Fori, quod illi tribuit Sac. Congreg. Immunitatis, potiretur.

De-

Deputationis Advocati Fiscalis.

FORMULA VII.

SUMMARIUM.

1 *Advocatus Fisci non est necesse, quod sit laureatus.*

- 2 *An juret de calumnia.*
- 3 *Advocatus Fisci non advocat pro Fisco contra suos, neque allegatur suspectus.*
- 4 *Advocatus Fisci gaudet privilegio Fori, & nobilium, quia dicitur persona egregia.*
- 5 *Advocatus Fisci licitè recipit emolumenta ab adhærentibus Fisci.*

N. Episcopus N.

Dilecto N. I. V. D. salutem.

UT Causæ, quas in nostro Tribunali cognosci contigerit, debita cum maturitate discutiantur, & jura nostri Fisci, mensæque tueantur, Advocatum Fiscalem providere cupientes, in tua integritate, scientia, & rerum agentiarum experientia plurimum in Domino confisi, Te ad hoc munus eligimus, & deputamus, cum omnibus honoribus, prærogativis, privilegiis, & emolumentis, tam de jure, quàm de consuetudine exigi solitis: Mandantes omnibus, & singulis nostræ jurisdictioni subjectis, ut Te in talem habeant, & recognoscant, & ubi opus fuerit foveant, & assistant. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

- 1 **SCIENTIA.** Non est necesse, quod Advocatus Fiscalis sit laureatus, quia Advocati Officium requirit solam doctrinam, ut dicit Rot. *decis. 357. num. part. 18. Rec.*
- 2. **PRÆROGATIVIS.** Una ex prærogativis Advocati Fiscalis est, quod non juret de calumnia, ut tenet Gratian. *discept. 56. num. 21.* qui allegat pro se Surd. *decis. 18.* At contrarium tenent Bertacch. *repertor. in verb. Advocatus post num. 10. pag. mibi 76. tergo, Ricc. decis. Curia Archiep. Neap. 56. n. 12. par. 2.*
- 3. Secunda prærogativa, quod non cogitur advocare pro Fisco contra se ipsum, neque suos, Bertacchin. *loc. cit. pag. mibi 78. tergo.* Tertia, quod in causis spectantibus ad Sanctum Officium non allegatur suspectus, in aliis verò ex causa tantum

inimicitia, Caren. *de Sanct. Offic. part. 1. tit. 9. num. 51. 56. & 57.*

4. **PRIVILEGIIS.** Advocatus Fiscalis gaudet privilegio Fori, *Sacr. Congregat. Immunitatis in Bellicastren. 4. Decembris 1629.* necnon præ eminentiis, quæ Senatoribus elargiuntur, quia dicitur de corpore Concilii, ut ait Raynald. *observ. Crimin. tom. 2. cap. 19. §. 1. num. 124.* diciturque persona nobilis, & egregia Bertacch. *in repertor. verb. Advocatus pag. mibi 77.*

5. **EMOLVMENTIS.** Quod possit Advocatus Fiscalis licitè accipere honorarium ab adhærentibus Fisci, ex Scanarol. *de visit. carcerat. lib. 1. cap. 4. n. 16.* tenet Raynald. *loc. cit. n. 141.*

De-

Deputationis Procuratoris
Fiscalis.

FORMULA VIII.

SUMMARIUM.

1 Procurator Fisci licet regulariter non
appellet, adhuc appellat in pluribus.

- 2 Procurator Fisci stat hodie ferè in om-
nibus delictis (excepto adulterio non
publico) loco Accusatoris.
3 Procurator Fisci in Statu Ecclesiastico
vigore Bullæ Pii IV. appellat, & ubi
consuetudo non appellandi non adest.
4 Procurator Fisci ab Episcopomet de-
putato non appellat.
5 Procurator Fisci gaudet privilegio
Fori.

N. Episcopus N.

Dilecto N. &c.

I Doneitatis, probitatis, & experientiae merita, quibus Te ornatum digno-
scimus, Nos inducunt, ut operam tuam libenter adhibeamus, sperantes
ea, quae Tibi mandabuntur, & alia, quae tuo muneri *injuncta sunt*, omni fide,
& solertia exequeris. Te igitur Procuratorem Fiscalem nostrae Curiae ad bene-
placitum nostrum, honoribus, oneribus, exemptionibus, privilegiis, & emo-
lumentis solitis, & consuetis constituimus, & deputamus, mandantes homi-
nibus nostrae jurisdictioni subjectis, cæterisque ad quos spectat, ut Te in Officia-
lem nostrum Episcopalem agnoscant, & quoties opus fuerit Tibi assistant. In
quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus, N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1 **T**UO MUNERI INJUN-
CTA. Promotor Fiscalis li-
cet de laudabili consuetudine non appel-
let, Sperell. *decis.* 65. nu. 6. Guazzin. *ad de-
fens. reor. defens.* 36. num. 14. Conciol. *resol.*
Criminal. verb. Appellatio resol. 2. Appel-
lat tamen à Decreto remissionis causæ ad
aliud Judicem, à Decreto declarante,
quod reus gaudet indulto in causis pecu-
nariis descendentes ex delicto, & à
Decreto modicitatis poenæ, ut declarat
Raynald. *observ. Criminal. in supplem. 2. ad
cap. 32. §. 4. num. 1.* ad quem casu eveniente
recurras.

2 Promotor Fiscalis nostra hac tem-
pestate (in qua ex consuetudine omnium
Tribunalium proceditur ad publicam

vindictam per inquisitionem ferè in om-
nibus criminibus, ut tradunt Conciol.
resol. Crimin. verb. inquisitio resol. 1. Zuff.
*de legit. process. lib. 2. quest. 92. num. 12. &
quest. 120. num. 9.* excepto adulterio non
publico, cujus accusatio competit tantum
quibusdam personis, quas enumerat Tusch.
litt. A. conclus. 226. *per tot. Antonell. de loc.
legal. lib. 3. cap. 6. num. 44.*) stat loco Ac-
cusatoris, Sperell. *decis.* 92. num. 2. Ciar-
lin. *contr.* 165. n. 20. & 21.

3 In Statu Ecclesiastico potest qui-
cumque Promotor Fiscalis vigore Bullæ
58. Pii IV. §. 44. à Sententia contrà se lata
appellare, & ad Signaturam Justitiæ re-
currere, ut cognoscat, an appellatio sit
admittenda, ut observat Raynald. *loc. cit.
d. supplem. 2. num. 36.* Sicuti appellare po-
terit, ubi consuetudo non appellandi
non

non adest, prout non adeste Neapoli testantur Januen. & Ricc. quos citat Raynald. *observ. Criminal. tom. 3. cap. 32. §. 4. & 5. n. 245. & tom. 2. cap. 19. §. 1. n. 193.*

4. **AD BENEPLACITUM NOSTRUM.** Quod deputatio Promotoris Fiscalis debeat fieri ab Episcopo, non autem à Vicario Generali, dicit Nicol. *in fosc. verb. Fiscus*, quia ita deputatus non appellat, ad tradita per Gabr. *commun. opin. li. 7. concl. 14. n. 7.* At in praxi hæc distinctio non curatur.

5. **PRIVILEGIIS.** Promotor Fiscalis gaudet privilegio Fori, Bellett. *disq. Cleric. par. 1. de favor. Cler. person. §. 1. num. 19. Sac. Congr. Immun. in Ipporegion. 3. Augusti 1666.*

Deputationis Advocati Pauperum.

FORMULA IX.

SUMMARIUM.

1. *Advocatus Pauperum non tenetur gratis patrocinium præstare Viduis, &*

- pupillis divitibus.*
 2. *Advocatus Pauperum datur ex officio ab Episcopo.*
Advocatus cogitur ab Episcopo ad suscipiendum patrocinium Pauperum, ibid.
 3. *Pauperes opprimuntur, nisi ab Episcopo tueantur.*
 4. *Advocatus non est necesse, quod sit laureatus, sed doctrina idoneus, nam multi laureati sunt Doctorelli.*
 5. *Pauperes, & miserabiles personæ possunt convenire eorum debitores in Foro Episcopi, præsertim ubi adest consuetudo.*
 6. *Advocati requisiti tenentur egenis amore Dei patrocinium gratis præstare, aliàs recusantes peccant mortaliter.*
 7. *Advocatus Pauperum defendens malam causam peccat, & tenetur ad restitutionem.*
Nemo Pauperi in mala causa debet esse misericors, ibid.
 8. *Advocatus Pauperum, si est Laicus gaudet privilegio Fori.*

N. Episcopus N.

Dilecto N.

UT Pauperibus, Viduis, Pupillis, aliisque miserabilibus personis, quæ sibi de Advocato providere non possunt, *consulamur*, inspecta tua probitate, *doctrina*, & pietate, qua erga destitutos humano auxilio polles, Te Advocatum earumdem personarum, aliorumque egenorum hujus Civitatis, & Diocesis constituimus, ac deputamus, ad hoc, ut misericordiae viscera indutus, *causas ad Forum nostrum* spectantes pro iisdem suscipias, & *gratis defendas*, à Deo munerum Datore pro opere tam grato mercedem plenam recepturum: Cum omnibus *Privilegiis*, & exemptionibus tam de jure, quàm de consuetudine debitis. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **M**ISERABILES. Si enim Viduæ, & Pupilli essent divites, tunc Pauperum Advocatus non te-

neretur gratis patrocinium præstare, Sperell. *decis. 156. n. 31.* Pirhing. *in jus Canon. tom. 1. lib. 1. tit. 37. §. 1. assert. 3.*

2. **CONSULAMUS.** Tenetur Episcopus ex officio providere Pauperes de

de Advocato, per Text. in cap. Ex litteris
1. de offic. Judic. ubi Glof. & Host. num. 7. &
potest quem cogere ad suscipiendum illo-
rum patrocinium, etiam in Criminali-
bus, l. nec quidquam 9. §. Advocatos, ff. de
offic. Procons. l. providendum 7. Cod. de po-
stul. Barbof. in dicto cap. 1. n. 2. de Offic. Judic.
Glof. in cap. De presentium verb. defunfor
16. quest. 1. Conciol. resol. Crimin. verb. Advoca-
tatus resol. 2. nu. 2. multando renitentem,
aut illi prohibendo munus advocationis
exercendi, Zacch. de salar. quest. 52. num.
109. & seqq. quem sequitur Zaul. observ. ad
Stat. Favent. tom. 1. rub. 13. lib. 3. nu. 5.

3. Pauperes etenim, qui non habent,
quod offerant, si ab Episcopo non prote-
gantur, non solum in judicio, & extra
contemnuntur, sed etiam contra verita-
tem opprimuntur, ut inquit Text. in cap.
Pauper 11. quest. 3.

4. **DOCTRINA.** Non est necesse,
quod Advocatus Pauperum sit laureatus,
sicuti jam dixi de Advocato Fiscali, ex
quo Advocati officium solum doctrinam
exigit: Nam multi laureati sunt Doctores
necessitatis, idest sine lege, cum ne-
cessitas non habeat legem; Vel sunt mo-
netæ tonsæ, idest sine litteris, cum tales
monetæ non habeant litteras, quos Do-
ctorellos vacat, & irridet Grat. disceptat.
186. n. 41. & 42.

5. **AD FORVM NOSTRVM SPE-
CTANTES.** Pauperes, & miserabiles
personæ possunt convenire illorum Debi-
tores in Foro Episcopi, cap. super quibus-
dam, §. ult. de verb. signif. cap. Signifi-
cantibus de offic. deleg. cap. Ex parte de for.
comp. Leoncil. de privil. Pauper. privil. 165.
per tot. part. 2. & præsertim ubi adest con-
suetudo, Sac. Congr. Immunit. in Montis Fa-
lisci 26. Februarii 1636. in Macerat. 18.
Novemb. 1653. in Aesina 51. Maii 1639. &
15. Junii 1675. Eisque Judex ex officio
mandare debet, ut dentur acta gratis, l.
tam dementis Cod. de Episc. audientia, ibi-
que Glof. & DD. Pelleg. prax. Vicar. part.
4. sect. 10. num. 78. & præcipit Const. Pii
IV. la 58. §. 83.

6. **GRATIS DEFENDAS.**
Quoniam Advocati tenentur requisiti ege-
nis amore Dei patrocinium gratis præsta-
re, ut in Statu Ecclesiastico mandant

Constitutiones Apostolicæ Benedicti XII.
la 2. §. 2. & Pauli V. la 71. & generaliter
ubique ex communi DD. Sententia, Guaz-
zin. ad defens. reor. in præfat. n. 5. Gratian.
discept. 55. n. 46. Nicol. in glof. verb. Advoca-
tatus, & quod recusantes peccent morta-
liter ex D. Thom. & Cajet. tenent Guaz-
zin. ubi supra, Barbof. in cap. Non licet Ju-
dic. 11. quest. 3. n. 8. Caroc. de locat. par. 3. tit.
de libert. quest. 7. n. 4. & seqq.

7. Hoc tamen debet intelligi quando
Pauperes, & egeni fovent bonum jus,
aliàs in quacumque judicii parte, si Ad-
vocatus agnosceret causam illorum esse
injustam, teneretur patrocinium dimitte-
re; eosque admonere, ut causam dese-
rant, vel componant, ne ipse peccet ali-
ter faciendo, & teneatur de proprio ad
restitutionem expensarum, ut ex D. Tho.
2. 2. quest. 71. art. 3. monet Lazzar. quest.
Canon. sect. 3. quest. 12. num. 18. & 19. Nemo
enim Pauperi in mala causa debet esse mi-
sericors, cap. Si res 14. quest. 6.

8. **PRIVILEGIIS.** Advocatus Paupe-
rum, si est Laicus gaudet privilegio Fori,
ut declaravit Sac. Congr. Immunitatis in
Beneventana 20. Junii 1655.

Deputationis Procuratoris Pauperum.

FORMULA X.

SUMMARIUM.

- 1 Cura, & protectio Pauperum propria
est Episcoporum.
- 2 Pauperes debent habere in Tribunali
Episcopi Advocatum, & Procura-
torem.
- 3 Procurator Pauperum potest in judicio
comparere, & patrocinium sumere
etiam sine mandato.
- 4 Procurator Pauperum non debet illos
contemnere, quia Dominus judica-
bit causam eorum.
- 5 Procurator Pauperum suscipit nego-
cium, Advocatus personas, hic quasi
Tutor, ille quasi Curator, ille ca-
lamo, hic agit ore.
- 6 Procurator gratis Pauperibus pa-
tro-

patrocinium præstat.
Procurator, si pro Paupere postulare

recuset, potest affici pœna pecuniaria, ibid.

N. Episcopus N.

Dilecto N.

UT Pauperes, & miserabiles personę hujus Civitatis, & Diœcesis, quarum Cura nostrę Pastoralis sollicitudinis *maxima pars est*, in eorum litibus subleventur, virum probum, & idoneum, qui in judicio pro eis, postulare, & causas defendere queat, eligere, & deputare statuimus. Idcirco de tua scientia, & experientia valdę in Domino confisi, Te Procuratorem eorundem Pauperum pro causis in nostro Tribunali agendis, cum honoribus, oneribus, & exemptionibus solitis constituimus, & deputamus: Enixę Te in Domino hortantes, ut defensam, & patrocinium illorum tam in judicio, quàm extrã, & *etiam absentium omni charitate tamquam Patronus gratis suscipias*. Quoniam merces tua copiosa erit in Cęlis. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

ADNOTATIONES.

1 **MAXIMA PARS EST.** Cura, & protectio Pauperum propria est Episcopi, & tenetur illos tueri, & defendere, Textus & Canones sunt aperti in c. *Pervenit*, & seq. 84. dist. c. 1. & per tot. 87. dist. c. Scire 23. q. 8. & c. 1. dist. 86.

2. **IN NOSTRO TRIBUNALI AGENDIS.** Non tantum debent Pauperes habere Advocatum, sed & Procuratorem, præsertim in Civitatibus qualificatis; & non solum in Tribunali Ecclesiastico, sed etiam Laicorum sumptibus publicis Civitatis constituendos, Zacch. de Salar. q. 52. n. 118. Barb. in c. *Ex literis* n. 6. de off. jud. ubi testatur in pluribus locis ita laudabiliter servari, Pirhing. in jus Can. to. 1. tit. 37. §. 1. affer. 3.

3. **ETIAM ABSENTIUM.** Pro pauperibus, etiam sine mandato potest Procurator comparere, & patrocinium assumere, Guazzin. tract. Moral. ad defens. animar. lib. 1. defens. 2. c. 3. n. 9.

4. **OMNI CHARITATE.** Non debet Procurator Pauperem contemnere, aut ei violentiam facere, quia Pauper est, neque contemnere egenum in Porta, quia judicabit Dominus causam ejus, & configet eos, qui confixerunt animã ejus, Prov. 22. v. 22.

5. **TAMQUAM PATRONUS.** Horta-

N. Cancellarius Episcopalis.

tur Procurator ad suscipiendum Pauperum patrocinium, ad ostendendam differentiam deputationis Advocati: Hic enim advocatur in consilium, Procurator verò Patronus litis dicitur, & causam agit: Advocatus suscipit personas, Procurator verò negotia; ille quasi Tutor, hic quasi Curator, ille agit magis calamo, hic ore.

6. **GRATIS SUSCIPIAS.** Quamvis Officium Procuratoris non sit publicum, & necessarium, prout est illud Advocati, adeo nemo invitus hoc suscipere cogatur, *Invitus* 17. C. de Procur. Nihilominus pro Pauperibus gratis agere, & causas defendere debet, Leonc. de privil. Paup. p. 2. priv. 339. n. 1. ubi n. 3. dicit, quod, si Procurator pro Paupere postulare, & agere recusaret, posset affici pœna pecuniaria, sed quod hoc privilegium Pauperum malè in praxi servetur.

Deputationis Depositarii Pignorum.

FORMULA XI.

SUMMARIVM.

- 1 *Electio Depositarii Pignorum pendet ab arbitrio Episcopi.*
- 2 *Depositarius Pignorum gaudet Fori Privilegio.*

N. Epi-

N. Episcopus N.

Dilecto N.

Indemnitati non minùs creditorum, quàm debitorum lites agentium in nostro Foro consulere cupientes, de idonea persona, quæ pignora in executione reali capta custodire debeat, providere statuimus. Quapropter in tua fidelitate confisi, facta prius per Te in Actis nostræ Cancellariæ obligatione officium huiusmodi fideliter exercendi, librum benè compactum, in quo pignora describantur, retinendi, descripta custodiendi, & non nisi mandato in scriptis habito nostri Tribunalis illa restituendi, seu consignandi, & rationem reddendi: Te in Depositarium Pignorum nostræ Curia cum omnibus honoribus, oneribus, emolumentis, & privilegiis solitis, & consuetis constituimus, & deputamus. In quorum fidem præsentem expediri, & in nostra Cancellaria registrari iussimus. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

FACTA OBLIGATIONE. Cum agatur de Officiali, cuius electio pendet ab arbitrio Episcopi, sive alterius Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentis, non autem à lege, vel Canone exigatur, non requiritur in illius deputatione fidejussio, sed pro securitate partium sufficit Deputati obligatio pignora custodiendi, & rationem reddendi: Dum hoc officium dari non solet, nisi personis fide, & facultatibus idoneis.

2. PRIVILEGIIS. Depositarium Pi-

gnorum Curia Episcopalis gaudere debere privilegio Fori, declaravit Sac. Congr. Immunit. in Spoletana 5. Maii 1637.

Deputationis Depositarii Mensæ Episcopalis.

FORMULA XII.

SUMMARIUM.

1. Depositarius Mensæ Episcopalis gaudet privilegio Fori.

N. Episcopus N.

Dilecto N. &c.

Bonorum, & jurium nostræ Mensæ, quæ nullum Provisorem habent præter Episcopum, curam jugiter ferentes, idoneum Depositarium illis dare statuimus: Idcirco de tua fidelitate, experientia, & dexteritate in rebus agendis satis edocti, Te Depositarium pecuniarum, censuum, livellorum, canonum, responsum, aliarumque rerum ad nostram Mensam, & Episcopatum spectantium, & pertinentium, ad nostrum beneplacitum cum honoribus, oneribus, & privilegiis tam de jure, quàm de consuetudine debitis, constituimus, & deputamus. Dantes Tibi plenam facultatem, de posita pecuniarum recipiendi, canones, census, ref-

responsiones, laudemia exigendi, deponentes, & solventes respectivè scripto quietandi: Facta tamen priùs per Te obligatione in actis nostræ Cancellariæ, rationem tui officii ad omne mandatum nostrum reddendi, & cui, vel quibus mandaverimus, deposita, aut reliquatum solvendi, In quorum testimonium præsentibus à Nobis subscriptas expediri, & in nostra Cancellaria registrari, & publicari iussimus. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

ADNOTATIO.

P RIVILEGIIS. Gaudet Depositarius Mensæ Episcopalis privilegio Fori, prout declaravit Sac. Congregatio Immunitatis in Cæsennat. 10. Junii 1636. & alia Decreta refert Pignat. consul. 5. n. 4. to. 4.

Deputationis Depositarii
pœnarum.

FORMULA XIII.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus tenetur multas, & pœnas pecuniarias locis, et usibus piis applicare.
- 2 Episcopus Pauper non potest sibi applicare partem multarum, & si hoc faciat, peccat mortaliter, & num. 3.
- 4 Episcopus Pauper pro sibi applicandis pœnis pecuniariis debet recurrere ad Sedem Apostolicam.
Pœna pecuniaria, si imburseur, præsumitur ex fonte avaritiæ levata, ex

N. Cancellarius Episcopalis.

- fonte autem charitatis, si Pauperibus erogetur, ibid.
- 5 Pœna pecuniaria est pœna Canonica.
Pœna pecuniaria, si magis timetur, est imponenda potius quam spiritualis, ibid.
 - Pœna pecuniaria licet sit carior, est minor quacumque pœna corporali quamvis levi, ibid.
 - Pœna pecuniaria major imponitur nobili, quam ignobili, sed corporalis major imponitur ignobili, ibid.
 - 6 Pœna pecuniaria debent distribui locis piis Diœcesis arbitrio Episcopi, & cæteris paribus, loca pia Patriæ delinquentis præferenda sunt.
 - 7 Depositarius pœnarum Fori Episcopi cavere debet de fideliter administrando.
Depositarius pœnarum debet esse Ecclesiasticus, ibid.
 - 8 Depositarius pœnarum debet reddere rationem coram Deputatis.
 - 9 Depositarius pœnarum non debet deputari pro forma, sed ut verè, & realiter multæ apud eum deponantur.

N. Episcopus N.

Dilecto N. &c.

S Acri Concilii Tridentini, & Sacræ Congregationis Decretis inherentes, & ut par est obedire volentes, ut multæ pœneque pecuniariæ, quæ in Tribunali nostro pro delictis, illorumque absolutione imponi, infligi, & exigi contigerint usibus, & locis piis Civitatis, vel Diœcesis arbitrio nostro integrè applicentur, Te de cujus fidelitate, & probitate plurimum in Domino confidimus, Depositarium dictarum multarum, & pœnarum constituimus, & deputamus, data cautione in Actis

Actis nostræ Cancellariæ de benè administrando, & de libro benè compacto, in quo adnotari, & describi debent, retinendo, & rationem reddendi in fine anni coram Nobis, & duobus de Capitulo, ac de illas non solvendo, nisi de expresso nostro in scriptis mandato, vel Nobis absentibus Vicarii Generalis, recepta in calce ejusdem mandati confessione ejus, cui solveris. Mandamusque Cancellario nostro, ut nullatenus in exactione dictarum multarum, & pœnarum pecuniarum se ingerat, sed integrè penes Te deponi curet, præsentibus in Cancellaria registrandis ad nostrum beneplacitum duraturis. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **D**ECRETIS INHÆRENTES. Tenetur Episcopus ex juris dispositione in cap. Presbyteri de pœn. & ex præcepto Sac. Conc. Trid. cap. 1. sess. 6. c. 1. sess. 23. & c. 3. sess. 25. de Refor. pœnas, & multas pecuniarias, quas reis, infligit, usibus, & locis piis applicare absque ulla participatione Ministrorum, seu Officialium Tribunalis, ita communiter tradunt Quarant. in Summ. Bullar. verb. pœna pecuniaria, Ciarlin. contr. 50. n. 39. & seqq. Barbosa. supra Concil. dict. c. 3. sess. 25. n. 24. & de Offic. & Potest. Episc. alleg. 107. nu. 19. Nicol. lucubr. Can. lib. 5. tit. 37. num. 1. & per tot. ubi plura Decreta refert Conciol. resol. Crim. verb. Episcopus resol. 1. num. 10.

2. Quæ theorica vera est hodiè etiam in Episcopo paupere: nam etsi Ciarlin. & Conciol. in locis mox allegatis indulgeant, quod Episcopus pauper possit sibi aliquam portionem multarum applicare: Tamen hæc indulgentia fortè esset practicanda in illis pœnis, & multis, quæ taxatæ, & præfixæ reperiuntur à jure, statuto, vel Constitutionibus Synodalibus, Cæterùm pœnæ, & multæ, quas Episcopus, vel Vicarius imponit, vel taxat arbitrio suo, aliisque contumacialibus, etiam in casu egestatis Episcopi, indistinctè piis locis sunt applicandæ, prout articulo examinato, & Decretis Sacre Congregationis conciliatis firmat Fagnan. in cap. Presbyteri n. 18. 39. & per tot. de pœn. cum quo concordat Pirhing. in jus Canon. lib. 5. tit. 37. num. 7.

3 Undè illi Episcopi, qui doctrinam Fagnani praxi malè servant, non sunt immunes à culpa mortali, quia contemnunt Sacros Canones, & sic magis delinquant, quàm Principes sæculares leges contemnendo, cap. Nulli fas 25. quæst. 1. Abb. in cap. Nam concupiscentiam n. 2. de constit. Sperell. dec. 113. n. 76. Concilium etenim non hortatur, neque obiter decerint sed imperativè omnibus Episcopis tam pauperibus, quàm divitibus præcipit, quod multæ pecuniariæ. Locis piis assignentur, ut videre est in dicto c. 3. sess. 25. de Reform. ideoque transgressio ex sui natura est culpa mortalis, c. Nulli fas 19. dist. idem Fagnan. in c. Acrapula num. 21. de vit. & honest. Cleric.

4. Si autem Episcopus verè indigeat potest recurrere ad Sedem Apostolicam, prout faciunt viri timorati, & monent Quarant. in Sum. Bullar. verb. pœnæ pecuniariæ, Ricc. prax. For. Eccles. p. 1. resol. 311. Graff. dec. aur. p. 1. lib. 2. c. 23. n. 18. his verbis Quod benè notent Episcopi, ne perditum eant animas suas. Non autem in propria causa in præjudicium Pauperum, & locorum piorum sibi tamquam Pauperi multas applicando, jus dicere: Quoniam pœna pecuniaria pro delicto impõsita, si imbursetur, semper præsumitur ex avaritiæ fonte levata; at ex causa correctionis, & ex fonte charitatis si Pauperibus erogetur, ut benè concludit Abb. post Hofst. in cap. ut Clericorum n. 7. & 8. de vit. & honest. Cleric.

5. Hic notandum, quod pœna pecuniaria, est pœna Canonica, cap. Si quis contumax 17. quæst. 4. cap. Si quis cujuslibet 21.

bet 21. q. 5. *Glof. in cap. Prodest verb. corrigatur 23. q. 5. & in cap. Quoniam verb. quadruplum dist. 18.* Quæ quando magis timetur imponenda est potius quam spiritalis, ut consilium *Glof. in cap. Dicitur est verb. illud ergo 94. dist.* Et in Arbitrariis quamvis carior sit, est tamen minor qualibet pœna corporali, licet levi, *In servorum ff. de pœn. & major imponitur nobili, quàm ignobili, sed corporalis major imponitur ignobili, cap. qui contra, ubi Glof. verb. ignobiles 24. q. 1.*

6. **LOCIS PIIS CIVITATIS, ET DIOECESIS.** Pœnæ pecuniariæ, quæ secundum Canones *in c. Quamquam dist. 23. & c. Quoniam dist. 18.* irrogantur, debent distribui locis piis, & Pauperibus Civitatis, vel Diœcesis arbitrio Ordinarii, & cæteris paribus præferendus est locus, ubi delinquens habitat, *S. Congr. Episc. in Venusina 21. Nov. 1600. Nicol. lucubr. Can. lib. 5. tit. 37. n. 1. ampl. 2.* Adeo si reus appellaret à Decreto condemnationis ad Metropolitanum, non posset iste pœnam pecuniariam, in qua appellans fuit condemnatus, exigere, sed quatenus Sententiam confirmaret, illa Ordinario delinquentis, & loco commissi delicti solvi deberet, ut declaravit eadem *Sac. Congreg. in Squillacen. 6. Martii 1618. contra Archiepiscopum Rhegiensem.*

7. **DATA CAUTIONE.** Depositarius multarum Fori Ecclesiastici cavere debet de benè administrando, & rationem reddendo, ut Sacre Congregationes Episcoporum, & Concilii declararunt apud *Nicol. in fosc. verb. pœna n. 6. & lucubr. Can. lib. 5. tit. 37. num. 1. ampl. 1. & apud Fagnan. in cap. Presbyteri nu. 33. de pœn.* ubi quod Depositarius debet esse aliquis de Capitulo, ne forte Laicum Episcopus deputando videatur velle absque necessitate Officiale non subditum creare, ut illum à suo eximat Foro.

8. **ET DUOBUS DE CAPITULO.** Redditio rationis super applicatione multarum debet fieri coram Ordinario, & duobus de Capitulo eligendis, alter ab Episcopo, & alter à Capitulo, ut eadem Decreta à præfatis Authoribus mox adductis relata præscribunt; Et convenit, ut ita fiat, nè unquam de pœnarum non recta versione contingat suspicari.

Monacelli Form. Pars I.

9. **DEPONI CURET.** Deputatio huius Officialis non debet fieri pro colore quæsito, & ad captandam excusationem in malo; sed ut verè, realiter, & fideliter multæ pecuniariæ apud eundem deponantur, & ut per illius manus locis, & usibus piis, & pauperibus elargiantur: Excepto aliquo casu exemplari, in quo, ut omnibus innotescat Episcopus exacta multa statim pauperibus publicè erogari juberet, ad tradita per *Card. de Luc. annor. ad Concil. disc. 43. n. 19.*

Deputationis Revisoris Computorum Administratorum locorum piorum.

FORMULA XIV.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus exigere potest rationem administrationis locorum, & legatorum piorum quibusvis privilegiis non obstantibus.
 - 2 Episcopus non obstante, quod à Testatore, & lege foundationis excludatur à visitatione, & revisione computorum, potest supplere negligentiam Executorum, & Administratorum etiam si defunctus disponeret, quòd legatum irritum sit, quando Episcopus se immisceat, & illos remove, si malè administrant, nu. 3. 4. & 6.
 - 3 Episcopus in absolutione, seu condemnatione Administratore, habet unicum votum, ubi alii Deputati ex lege foundationis adhibendi sunt.
 - 4 Episcopus cogit quoscumque Administratores locorum piorum, ad exhibendum libros administrationis, etiam in Palatio Episcopali, quando sunt in loco residentie.
 - 5 Administratores tenentur retinere libros dati, & accepti, aliàs contra eos tamquam dolosos juratur in litem.
 - 6 Administratores equiparantur Tutoribus, & Curatoribus, & præstare debent ea, quæ illi præstant.
- Administrator à Testatore datus licet non teneatur satisfacere, teneatur tamen rationem administrationis reddere,

C quam-

- quamvis nihil Testator de hoc disponeret, *ibid.*
 Obligatio reddendi rationem de administrationis imponitur à jure, *ibid.*
 10 Administrator, seu Executor Testamentarius, qui debet eleemosynas di-

stribuere pauperibus, potest filiis, & sibi distribuere, si verè sint pauperes.

- 11 Episcopus, sive alius Deputatus pro revisione computorum non potest mercedem, sive propinam recipere.

N. Episcopus N.

Dilecto N.

EXigit providentia Pastoralis officii, ut bona, & redditus locorum piorum rectè administrantur, & eorum computa debito tempore examinentur, & reveideantur. Quapropter Nos gravioribus curis occupati de tua fidelitate, & experientia plurimum in Domino confisi, Te in Revisorem generalem computorum, & administrationum omnium locorum piorum tam Civitatis, quam Diocesis, & nostræ ordinariæ, & delegatæ jurisdictioni subjectorum, eligimus, constituimus, & deputamus cum facultate Officiales, & Administratores quoscunque prout juris erit, citandi, & ad exhibendos libros, & computa pro redditione rationis compellendi. Ad Sententiam autem absolutoriam, seu condemnatoriam non devenias Nobis, vel nostro Vicario Generali inconsultis, præsentibus ad nostrum beneplacitum valituris. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **D**EBITO TEMPORE. Episcopi vigore Conc. Trid. c. 8. & 9. de Reform. consuetudinibus etiam immemorabilibus, & privilegiis non obstantibus, possunt exigere rationes ab Administratoribus locorum, & legatorum piorum, non solum tempore visitationis, sed extra sine ulla distinctione, nisi in fundatione aliter cautum non esset expressè, prout Sac. Congr. Conc. apud Gallemari. supra dictis cap. 8. & 9. non semel declaravit.

2. Immo si Episcopus à Testatore in revisione computorum administrationis legati pii expressè excludatur, adhuc poterit negligentiam Executorum Testamenti supplere, & illos ad adimplendum cogere vigore c. Tua nobis de Testam. ubi Fagnan. n. 16. sic decisum fuisse testatur his verbis — Et rursus cum quæsitum esset, an Episcopus in fundatione exclusus à visitatione Hof-

pitalis, quia in fundatione sit cautum, ne se administrationi, visitationi, aut correctioni immisceat, possit se immiscere in casu negligentia Administratorum, S. Congreg. censuit posse juxta cap. Tua Nobis de Testam.

3. Quam decisionem à Fagnano relatum eadem Sac. Congreg. Concilii confirmavit in Civitatis Plebis 10. Decemb. 1695. in qua his resolvit Episcopum tamquam Executorem omnium legatorum Piorum posse ad formam dicti cap. Tua Nobis de Testam. cogere Administratores ad exequendam, & adimplendam Testatoris voluntatem non obstante, quod excluderetur in Testamento, his verbis — Che Monsig. Vescovo, o suo Vicario pro tempore non possa mai in alcun modo, ne sotto qualsivoglia pretesto, e causa ingerirsi, nè ad effetto d'eseguire, esortare, e persuadere, nè ad altro effetto nelle cose contenute nella presente donazione, disposizione, & Instrumento, mà il tutto sia esente dalla sua giurisdizione,

zione ordinaria, e delegata, e dalla legge Diocesana, che con questa conditione espressa il detto Donatore dichiara haver fatta, e voler fare donatione, che altrimenti non haverebbe fatta, nè vorrebbe haverla fatta, mentre questi potessero ingerirsi.

4. Et ratio horum est, quia privata Testatoris dispositio non valet generalem constitutionem legis, vel canonis immutare, & idem voluntati defuncti irrationabili standum non est, etiamsi ulterius procederet disponendo, quod alias legatum irritum sit, & in diversam causam bona ejus expendantur, ut in individuo firmant Piasc. *prax. Episc. part. 2. cap. 3. art. 5. iii. de visit. Benef. simpl. n. 9.* Passerin. *in cap. Religiosus, S. Sanè n. 106. cum seqq. de Testam. in sexto.*

5. **ADMINISTRATORES QUOSCUMQUE.** Etiam exemptos, qui si aliis soleant reddere rationes, adhuc vigore dispositionis Concilii principaliter erit adhibendus Episcopus, *Jac. Congr. Conc. in Conversanen. 2. Martii 1697. & in Melevitana 20. Martii 1700.* qui quoties ad condemnationem, vel absolutionem Administratorum procedet unicum tantum votum habebit, juxta antiquas resolutiones *S. Congr. supra dicto cap. 9. sess. 22. de Reform.* Itaut major pars suffragiorum ceterorum, qui ex consuetudine, vel privilegio redditio- ni rationum Deputati adhibentur, absolvat, aut condemnet.

6. Quando autem Administratores essent dati à Testatore, possent ex causa ab Episcopo amoveri, ut dicit Pignatell. *consult. Can. 17. n. 8. tom. 8.* Et si in administratione malè se gessissent, alterando partitas minus, aut plus conscribendo in præjudicium legati, sive loci pii, cujus redditus, & bona administrant, accusari, & puniri possent etiam criminaliter, ut in praxi servati testatur *Raynald. observ. Crim. tom. 2. cap. 14. §. 21. num. 4.*

7. **AD EXHIBENDUM LIBROS.** Potest Episcopus cogere quoscumque Administratores Piorum Locorum, & Ecclesiarum, necnon Canonicos Cathedralis ad exhibendum, & asportandum libros administrationis, etiam ad Palatium Episcopale, si sint in loco residentiae, seu alterius stationis, & permanentiae Epif-

copi, ut præter Decreta, quæ refert *Chrispin. de visit. par. 2. §. 28. n. 7. & 8. nuper declaravit S. Congr. Conc. in Narnien. 8. Augusti 1693. in Montis Falsci 27. Aug. 1695. in Hispal. Visitationis 18. Aug. 1696. & in Calaguritana Visitationis 18. Junii 1701.*

8. Nec possunt Administratores exhibitionem effugere pretextu carentiae, & non existentiae librorum: quia quilibet Administrator conficere, & retinere tenetur librum rationum, qui contineat data, & accepta, ex qua causa, & qua die, alias non valerent rationem reddere quamvis exhiberent notulas, sive listas, aut folia, immò contra eos tamquam dolosos juratur in litem, *Rot. apud Farinac. dec. 540. quam allegat. Nicol. lucubr. Can. lib. 3. tit. 35. num. 7.*

9. Quia Administratores æquiparantur Tutoribus, & Curatoribus, & ea omnia præstare debent, quæ illi præstant *Text. est in Clement. quia contingit, §. Ut autem de Relig. Dom. Rot. coram Coccin. dec. 625. n. 10.* Et hinc oritur, quòd licet Administrator à Testatore datus non teneatur fatisdare, ut docet *Glof. in dicta Clem. quia contingit in verb. præstare;* attamen rationem administrationis reddere tenetur, quamvis de hoc nihil Testator disponeret, quia est obligatio, quæ de jure tacite censetur imposta omnibus Administratoribus, ut probant *Fagnan. in c. Ad hæc num. 59. de Relig. Dom.*

10. Nota quod Administrator, sive Executor Testamentarius datus ad distribuendum elemosynas in pauperes, potest sibi, & filiis tamquam pauperibus distribuere, ut tenent *Surd. de alim. tit. 1. quest. 94. num. 5. ibi -- Ideò Pater Executor ultimæ voluntatis, potest in distributione bonorum, quæ debet fieri in pauperes, nominare filium suum, si verè sit pauper. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. glof. 2. n. 55. & 56. Barbof. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 83. num. 22. & 23.*

II. PRO REDDITIONE RATIONIS. Deputatus pro redditione rationis, quicumque sit, non potest pro labore revisionis computorum locorum piorum mercedem, seu propinam exigere, sed gratis hoc munus tenetur implere non obstante quacumque contraria con-

fuetudine, prout mandat Taxa Innocentiana, & Sac. Congreg. Concilii apud Nicol. in fosc. verb. gratis, §. 3., ibi -- Ordinarius nihil debet accipere pro revisione rationum, non obstante qualibet contraria, vel immemorabili consuetudine. Congreg. Concilii &c. Et ratio viva est, quia Ordinarius habet redditus Mensæ, ut onera officii sustineat, cap. Statutum de rescript. in sexto, ubi plenè Passerin. §. Si quid autem à num. 369. cum seq. Sac. Congr. Concilii in Panormitana 4. Martii 1690.

Deputationis Baroncelli.

F O R M U L A X I.
S U M M A R I U M.

- 1 Episcopus potest retinere familiam armatam.
- 2 Episcopus implorat aliquando brachii seculare in subsidium, non necessitate.
- 3 Barisellus Curie Episcopi gaudet privilegio Fori.
Offendens Barisellum Curie Ecclesiasticæ punitur privative ab eadem Curia, ibid.
- 4 Bariselli cognitio præsumitur, non autem aliorum satellitum.

N. Episcopus N.

N. N.

Delicta, quæ pacem turbant, & rempublicam vexant, ne quantum in Nobis est impunita remaneant, & iustitiæ administratio brachio, quo fulciatur non careat, familiam armatam habere statuimus. Quocirca de tua fidelitate confisi, Te Baroncellum nostræ Curie tam in Civitate, quam pro tota Diœcesi ad nostrum beneplacitum constituimus, & deputamus, cum licitoribus, quos tibi socios pro exercitio tui officii tam in Civilibus, quam in Criminalibus adjunxerimus, cum oneribus, emolumentis, & privilegiis solitis, & consuetis: monentes omnes, ut Te in Baroncellum, & Officiale nostræ Episcopalis Curie recognoscant, tibi que tuum officium exequenti non resistat sub penis arbitrio nostro, prout juris erit, infligendis. In quorum fidem præsentem expediri, & in Cancellaria nostra registrari iussimus. Datum &c.

N. Episcopus, sive Vicarius Generalis N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **F**AMILIAM ARMATAM HABERE. Quod Episcopus possit retinere familiam armatam, & satellites, est propositio inter DD. nostros communiter recepta, quia in sua Diœcesi dicitur Princeps, & habere merum, & mixtum imperium, ut post Glof. in c. Si quis 2. q. 7. & Conc. Trid. sess. 25. c. 3. docent Tusch. litt. E. concl. 253. per tot. & concl. 59. n. 16. lit. I. Barbof. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 107. n. 2. &

seqq. Ciarlin. contr. 50. n. 25. Sperell. dec. 4. n. 7. & 8. & dec. 124. n. 14. Nicol. lucubr. Can. lib. 5. tit. 39. post n. 109. ampl. 7. Conciol. resol. Crim. verb. Episcopus resol. 2. Sac. Congr. Episc. in Civitatis Castellii 14. Aprilis 1615. responsione ad tertium dubium.

2. Et quamquam quamplures Episcopi careant licitoribus, & familia armata, hoc evenit, non quia talem jurisdictionem non habeant, sed quia vel sunt pauperes, vel alia causa impediuntur: Et cum sit actus facultativus, aliquandò etiam aliis prou-

prudentialibus respectibus hac facultate uti nolunt, brachiumque sæculare implorant in subsidium, non autem necessitate, ut inquit Sperell. & Ciarlin. *loc. cit.* quorum primus laudat ad evitanda inconvenientia, quod Episcopus carens lectionibus, deputet suis litteris Patentibus unum, vel plures satellites Curiae Laicæ, prout ipse ita sæpè practicasse testatur in dicta *decif. 124. num. 67.*

3. **ONERIBUS, ET PRIVILEGIIS.** Barocellus Curiae Episcopi, quod teneatur stare Syndicatui, & gaudeat privilegio Fori, dicit Nicol. in *fisc. verb. Barisellus n. 1. & 2.* & quo ad Forum ita declaravit *Sacr. Congreg. Immunitatis in Narnien. 28. Julii 1648.* Et quod occidens, vel offendens Birruarios Curiae Ecclesiasticæ ratione officii puniri debeat privativè ab eadem Curia, censuit eadem *Sacr. Congreg. Immunit. in Verulana 8. Julii 1692.* quam refert Zaul. *observ. ad Statut. Faen. tom. 1. lib. 4. rubr. 50. post num. 18.* & idem dicas quando Barocellus esset offensor, *Sacr. Congreg. Immunit. in Narnien. 28. Julii 1648.*

4. **RECOGNOScant.** Bariselli cognitio præsumitur ex deductis apud Panimoll. *decif. 75. num. 28.* non autem particularium militum Curiae, qui in dies mutantur; nisi satellites gererent in-

signia in loco portari solita, Panimoll. *ibid. num. 29.*

Deputationis Cursoris five Bajuli,
five Nuncii.

FORMULA I.

SUMMARIUM.

- 1 *Cursores, & Bajuli Curiae Sæcularis tenentur requisiti exequi mandata Curiae Episcopi absque alia licentia Judicis Laici, aliàs puniri possunt.*
- 2 *Nuncius, five Bajulus electus à Judice præsumitur talis, sit in possessione exercendi officium, licet de deputatione non constet, secus in Nuncio electo ab Univeritate.*
- 3 *Nuncius five Cursor, five Bajulus, an teneatur juramentum præstare de fideliter exercendo?*
- 4 *Gaudet privilegio Fori.*
- 5 *Satellites non debent fungi officio Cursoris.*
- 6 *Officium Cursoris non inducit infamæ maculam, neque irregularitatem.*
- 7 *Cursores diversimodè nuncupantur.*

N. Episcopus N.

Dilecto N.

Providere volentes Curiam nostram Episcopalem de idoneo Curfore, five Bajulo, qui fidelitate, & assiduitate, commissa sibi adimpleat, Te de cuius diligentia, & fidelitate simul confidimus, in publicum Curforem, Bajulum, five Nuncium nostri Tribunalis tenore præsentium ad nostrum beneplacitum eligimus, constituimus, & deputamus cum oneribus, privilegiis, emolumentis solitis, & consuetis. Dantes tibi omnem facultatem necessariam, & opportunam, *Officium Cursoris*, five Bajuli exercendi in tota nostra Diœcesi quoties fueris requisitus, hortantes Te in Domino, ut officium tuum exerceas fidelitate plena. Mandantes omnibus, ut Te in talem recognoscant, & recipiant sub pœnis &c. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

Monacelli Form. Pars I.

N. Cancellarius Episcopalis.

C 3 AD-

ADNOTATIONES.

1. **PROVIDERE.** Curia Episcopalis quando non habet proprium Cursores, sive Bajulum, uti poterit Cursoribus Curiae Laicae absque alia licentia Judicis Laici, sive Gubernatoris, aut Civitatis; & si renunt citationes, & mandata exequi, eos etiam censuris compellere, ut respondit *Sacr. Congreg. Immunit. in Narnien. 23. Junii 1648. l.4. Decr. fol. 53. à tergo.*

2. **ELIGIMUS, ET DEPUTAMUS.** Cursores, & publici Nuncii regulariter eliguntur, & deputantur à Judice; Si verò electio vigore statuti fieri contingat à Prioribus, & Magistratu loci, debet constare de deputatione, ut illis credatur, ad differentiam Nuncii, sive Bajuli à Judice electi, qui praesumitur talis quoties constat de commissione citationis, vel quod sit in possessione officium exercendi, quamvis de deputatione non doceatur, ut per doctrinam Bart. in *Extravag. ad reprimendam n. 5.* tenet Tusch. *litt. N. conclus. 154. n. 1. & 2. & conclus. seq.* ubi enumerat casus, in quibus Nuncio credendum sit.

3. **CUM ONERIBUS.** Aliqui tenent, quod Nuncius, sive Bajulus antequam incipiat officium exercere, debeat juramentum praestare de fideliter exercendo, & stare Syndicativi: Alii verò

putant, quod possit validè officium exercere etiam juramento non praestito, quos refert Tusch. *dicta litt. N. conclus. 154. n. 4. Nic. in fosc. verb. Barisellus n. 2. Ubert. de cit. tom. 3. c. 12. n. 361. in fin.* & hoc ultimum frequentius in praxi servatur.

4. **PRIVILEGIIS.** Nemo quod viderim negat, quod Nuncius, sive Cursor Curiae Episcopalis non gaudeat privilegio Fori, cum sit officium necessarium pro regimine Tribunalis, Nicol. *lucubr. Can. lib. 5. tit. 39. n. 109. ampliat. 5. Sacr. Congr. Immunit. in Cathacen. 27. Januarii 1643. lib. 3. Decr. fol. 194. à tergo.*

5. **OFFICIUM CURSORIS.** Satellites non possunt, neque debent exercere officium Cursoris, sed citationes, & intimationes per fidele, & publicum Bajulum ab Ordinario electum exequi, & intimari debent, sic respondit *Sacr. Congr. Episc. in Civitatis Castellii 14. Aprilis 1615. ad quintum dubium.*

6. Officium Cursoris non inducere infamiae maculam, neque irregularitatem, quae indigeat dispensatione, si loquamur de eo, qui satellites in capturis non adjuvat, ut late probat Sperell. *dec. 77. per tot.*

7. Nomina Cursorum varia sunt secundum locorum denominationem, ut observat Zacc. *de salar. quæst. 79. n. 1.* In Regno enim Neapolis non Cursores non Nuncii, non Bajuli, sed servientes nuncupantur.

TITULUS II.

De erectione, unione, collatione, & resignatione Beneficiorum.

Erectionis Beneficii cum reservatione juris patronatus.

FORMULA I.

SUMMARIUM.

1 Beneficium debet erigi decreto, & auctoritate Episcopi.

2 Prælati inferiori Episcopo, qui jura Episcopalia non habet, Beneficia non erigit.

3 Beneficium Ecclesiasticum erigi non potest, nisi ad Altare, dote constituta. Beneficium indotatum dicitur Beneficium de pratica, ibid.

4 Beneficii dos debet constitui nominatim hoc nomine.

5 Be-